


IES THEOL.

Theolog.







CONTINENTUR
in hoc volumine.


- I. Positiones dñae Christianae sub Praesidio Georgij Calixti
p. Lic. Achatius Mylius.
- II. De S. Scriptura sub p̄sid. Georgij Calixti p. Lic. &
m. Henricus Martinus Eccardus.
- III. Georgij Calixti Diss. de Deo uno et trino.
- IV. Georgij Calixti Diss. de Sanctissimo Trinitatis mysterio
& S. Lafermannus
- V. G. C. De Pactis quae Deus cum hominibus inicit
& Samuel Voss.
- VI. De gratuita per fidem justificatione & Christ.
S. Grader.
- VII. De gratuita justificatione hominis peccatoris coram
iudicio Dei. sub p̄sidio G. C. p. Lic. & P. Titius.
- VIII. G. C. Theses de providentia Dei.
- IX. G. C. de Aeterna praedestinatione et electione
- X. De Baptismo sub p̄sid. G. C. pro Lic. defendit Bran-
danus Dætrius.
- XI. Theses de Calice Dominico, sub p̄sid. G. C. & Dætrius
- XII. Theses de Corpore et Sanouine Domini reapse p̄sentibus
in S. Eucharistia sub Pr. G. C. & Br. Dætrius.
- XIII. G. Calixti De Peccato tractatus diversi in unum
volumen ~~congesti~~ congesti à F. U. C. H. de peccato in S. S.
- XIV. G. C. De statu animarum separatarum p̄sertim
beatarum et de cultu, qui eis convenit.
- XV. G. C. De Bono perfectè summo s. aeterna beatitudine
- XVI. G. C. Consideratio dñae Pontificiae juxta ductu
Concilij Tridentini et Reformatae juxta ductu Confessio-
nis Thoruni Borussiae.

- XVII. De Jone Purgatorio sub Praef. G. C. defendit
Justus Gesenius & Lic.
- XIII. G. C. De Missis Solitariis contra Pontificios.
- XIX. De Primatu Romani Pontificis sub Psidio G. C.
& Lic. defendit Hannemannus.
- XIX. G. Calixti de Pontifice Romano orationes tres.
- XXI. Colloquium Hamelburgense inter R. P. Augustinum
et Georg. Calixtum.
- XXII. Discursus hinc inde de Religione S. Georgij Calixti
- XXIII. Kurzer Bericht von dem Leben und Tode des
S. Georgij Calixti
- XXIV. S. Calixti Epistola Exegetica scripta ad Joh. Scharffium
- XXV. Plaga der Cause moralis u. conditionis sine qua non
die der sinnen, die auß ihm sind auch d. d. d.
- XXVI. Georgij Calixti hundertachtzigste Jahr der
Welterden
- XXVII. Programna in funere S. Georgij Calixti.
- XXIII. Laudatio funebris G. Calixti a S. Gerh. Titio.
- XXIX. Memoria G. C. oratio Christoph. Schraden
- XXX. Neue Relation von dem Leben und Tode
des S. Georgij Calixti im hundertachtzigsten Jahr
von S. Gerh. Titio

Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 15 horizontal lines across the upper half of the page.







COLLOQVIUM

instinctu

Nobilissimi & maxumè Strenui

DN. LUDOLPHI à Klencfen/

Hæreditarij in Hemelsburg/

Præsentibus N. Kintorff/ Cano-

nico Hildesiensi, N. N. Jesuita, Dn. Paulo

Schmiedt/ Pastore Artzensi, & Dn. Chri-

stophero Siltmann/ Pastore

Hämelsburgensi

inter

R. P. AUGUSTINUM N. è So-

cietate Lojolæ,

&

M. GEORGIUM CALIXTUM

Holsatum,

Hämelsburgi propriè. Kal. Septembr.

clō lōc XIV.

Institutum, & obretundendam malorum calumniam
tandem typis exscriptum

clō lōc LVII.

COLLOQUIUM

Dr. ANDOLPHUS BUCHNER

Præfatus N. N. N. N. N.

nicolaidicus, N. N. N. N. N.

Dr. Ch. N. N. N. N. N.

Hamburg

1792

R. T. AUGUSTINUS N. N. N.

Hamburg

M. GEORGIUM GALTUM

Hamburg

Hamburg

Institutiones & tractatus

typis

1792





Salutem ab auctore salutis!

Lector benevole,

EX quo Nobilissimus juvenis Lu-
DOLPHUS à Klence, Heredita-
rius in Hemelsburg ex Academia Ju-
lia in Italiam ad animum exactiori
literarum scientiâ imbuendum abiit, anni elapsi
sunt fermè, ni fallor, quinquaginta. Ut pe-
regrinantibus non omnia sepe ex voto accidunt:
ita illi iter suum non fuit ubiq; faustissimum.
Nam quum ejus comes stans à partibus Joannis
Calvini Romæ in Collegium Societatis Jesu se
contulisset, & disputantium animos temere ir-
ritasset, se subduxit clanculum, & Klencekius
in inquirentium manus incidit, carceriq; fuit in-
itio inclusus innocens. Licet illis candidè ani-
mum suum probasset alienum à controversiis
Theologicis, securiq; tulisset Latine lingvæ
scriptores classicos: tamen Jesuitarum turma

eum è manibus dimittere noluit. Neq₃ non ut
 animum ejus à confessione E-vangelij in suas par-
 tes pelliceret, non solum eum postea fidei Illustris
 Cardinalis Bellarmini commisit, sed & tenerrimè
 ab eo aliquot annos fuit amatus, eoq₃ familia-
 riter usus. Constans autem in sua confessione
 perstitit, & cum prius ab eo dimitti nequaquam se
 posse sensisset, quàm animum ad traditiones Pon-
 tificias applicuisset, miseriam suam parentibus
 suis significavit. His de salute filij ad Illustrissi-
 mum Principem Henricum Julium, Ducem
 Brunf. & Lüneb. p. m. adsiduè querentibus, non
 tantum ex illius intercessione Cesarea Majestas
 de dimissione Klenckij ad Pontificem Romanum
 scripsit: verum posthabitâ illâ scriptione ipse
 Princeps Romam literas misit, se omnes Mona-
 chos territorio suo expulsurum, bonis illorum in
 fiscum relatis, ni Nobilem juvenem dimitterent.
 Quibus minis commoti dimiserunt quidem
 Klenckium; at ne sine scrupulis elaberetur, ipsum
 prius jurare oportuit, ut sole oriente urbe exiret,
 de ipsorum religione non nisi bona diceret, & de
 scrupulis in commendatissima Bellarmini & Be-
 cani

cani lectione obortis prius semper cum Pontificio,
 quàm cum alio Doctore conferret. Hujus jura-
 menti nunquam fuit immemor Klenckius in pa-
 triam rediens, & in lectione Bellarmini neglectis
 nostrorum τῶν Θεολογούντων scriptis fuit adsi-
 dius. Malè id habuit parentes, advertentes
 studia filij: & cum illorum monita ab hoc pro-
 nibilo haberentur, tandem inter parentem & fi-
 lium de colloquio quodam de religione instituen-
 do convenit, ut illius partes desereret, qui in illo
 succumberet. Hunc in finem Hildesiã non so-
 lum Hemelsburgum advocatus R. P. Augusti-
 nus ob acuti ingenij & solidæ eruditionis gloriam:
 sed & Cornelius Martini in Academia Julia
 æterni nominis Philosophus & Theologus. At
 hunc quum domo abesse prohiberet valetudo, suo
 loco misit M. Georgium Calixtum Holsatum.
 Et licet initio ipsum naso adunco suspendisset
 R. P. Augustinus, tamen quomodo in isto se ges-
 serit, & voluntati sui præceptoris responderit,
 ex lectione illius cuiusvis intelligenti facile patebit.
 Confirmasset id ipsum Klenckij animum in veri-
 tate, quemadmodum parentes sibi hanc spem

fecerant, & inter eos ita convenerat: verum
 quid error posthabitâ Dei gratiâ valeat, edocuit,
 & in Pontificiorum castra abiit. Quod luci pu-
 blicæ id non fuit expositum hætenus, fecit Calixti,
 Theologi summi concordiaq; Ecclesiastica studio-
 sissimi promissio, quam, dum in vivis fuit, ser-
 vare oportuit. Ne autem diutius, optume le-
 ctor, eo destituaris, en tibi ejus eâ ratione fit co-
 pia, quâ fieri potuit. Tu eo in veritatis
 Evangelicæ adsertione fruere, & bene
 Ecclesie Dei afflictissimæ pre-
 cando Vale.



THE-



THESES
AD DISPUTANDUM
PROPOSITÆ

à
M. GEORGIO CALIXTO.

I.
Quicquid Romanus Pontifex deter-
minat, est infallibiliter verum.

Hoc est fundamentum & primum principium
Pontificiæ religionis; idq; falsum.

II.

Quicquid sacra Scriptura docet, est in-
fallibiliter verum.

Hoc est primum principium & fundamentum re-
ligionis Orthodoxæ & Catholicæ; idq; verum.

III.

In iis, quæ aperte in Scriptura posita sunt,
inveniuntur illa omnia, quæ sunt necessaria
ad salutem.

P. AU

P. AUGUSTINUS cū legeret theses, noluit secundæ theses verba, prout concepta erant, pronunciare; sed cū legere debuisset *religionis Orthodoxæ & Catholica*, legebat *religionis vestrae*. Inde cœpit hæc verba cavillari, & dicere *sua secta*, non autem *Lutheranis* hunc titulum deberi, & vulgò etiam tribui, cū ipsorum religio tantū dicatur Catholica.

CALIXT. Ipsi vobis illum titulum tribuitis & arrogatis. Si fit vulgò, distinctionis ergo fit, non quòd omnes qui vos ita appellent, vos verè Catholicos esse existiment.

P. AUGUST. Etiam in Jure Civili ille titulus nobis tribuitur.

CALIXT. An vobis ibi tribuatur, nescio. Verūm super hac re tecum non contendam. Tituli ut plurimū arbitrarij sunt, & arbitrio vulgi imponuntur. *Donatista* ad eundem modum, sicut vos nunc facitis, Catholicos sese vocabant, quod patet ex Augustino. Nos autem verè Catholicos esse sic probo:

Qui sunt Apostolici, illi sunt etiam Catholici:

Nos sumus Apostolici:

E. Sumus Catholici.

Minorem probo:

Qui servant doctrinam Apostolicam, sunt Apostolici:

Nos servamus doctrinam Apostolicam:

E. Sumus Apostolici.

Minor hujus prosyllogismi hodie Deo dante in progressu disputationis manifesta erit. Nolo enim de vocabulis aut titulis tecum contendere. Rem vide, & an in thesibus quicquam desideres, expende. Annon agnoscis vestræ doctrinæ & religionis primum principium esse illud, quod à me in prima thesi positum est?

P. AUGUST. Non agnosco.

CALIXT. Si hoc non agnoscis, da nobis aliud. Oportet religionis vestræ aliquod esse principium & fundamentum.

P. AUGUST. Fundamentum & principium nostræ doctrinæ & religionis est JESUS CHRISTUS.

CALIXT. Hoc admodum latè dictum est. JESUS CHRISTUS est terminus incomplexus. Ego verò desidero principium complexum, ex quo per bonam consequentiam in legitimo discursu & syllogismo aliqua conclusio deducatur.

P. AU.

P. AUGUST. Quoniam tale principium desideras, dabo.
Hoc agnoscunt Catholici pro primo principio complexo: *Quicquid prima veritas revelat, est infallibiliter verum.*

CALIXT. Etiam hoc nimis latum est, & propositio non Theologica, sed Philosophica.

P. AUGUST. Omnes Dd. cum D. Thoma docent, Theologiae objectum formale sub quo esse revelationem divinam.

CALIXT. Neque hoc ego nego. Sicut in disciplinis Philosophicis & cognatis objectum formale sub quo, ut vocant, est lumen rationis: sic in Theologia est lumen revelationis sive fidei. In universum enim duo sunt omnium disciplinarum, quae humana mente concipi possunt, genera. *Unum* cognoscitur sub lumine rationis. *Alterum* sub lumine revelationis, & planè contradistinctum est à priori. Concedo igitur, sicut in Philosophicis objectum formale sub quo est recta ratio: sic in Theologicis est revelatio. Verùm non est quaestio inter me & te de objecto formali sub quo: sed de primo principio religionis, sive quod idem est, Theologicae disciplinae proprio: quod scilicet principium primum sit in compositione, & ultimum in resolutione, quando Syllogismum resolvo, & probationes praemissarum peto. Tale igitur non esse illud, quod à te propositum fuit, sic probo.

Quod principium è ratione sine peculiari concursu divino notum est, hoc non est principium religionis & Theologiae:

Sed principium à te datum è ratione sine peculiari concursu divino notum est:

Ergo non est principium religionis & Theologiae.

P. AUGUST. Nego majorem.

CALIXT. Probo majorem.

Quarum conclusionum primum principium evidens est, & ex ratione notum, illae conclusiones itidem sunt evidentes, & ex ratione notae:

Sed conclusiones Theologicae non sunt evidentes, neque ex ratione notae:

E. earum primum principium neque evidens neque ex ratione notum est. Et per consequens, Quod primum principium

B

pium

pium ex ratione notum est, non est principium religionis
& conclusionum Theologicarum.

P. AUGUST. Nego minorem.

CALIXT. Probo minorem:

Quod tantum creditur, non scitur, (proprie accepto vocabulo scitur.)

Sed conclusiones Theologicae tantum creduntur:

Ergo non sciuntur. Et per consequens, non sunt evidentes, neq; per rationem cognoscuntur, quod erat probandum.

P. AUGUST. Iterum nego minorem.

CALIXT. Minor tam manifesta est, ut nihil manifestius. Conclusiones Theologicae nihil aliud sunt nisi articuli fidei. Articulos fidei tantum credi, & inde nomen suum habere manifestissimum est. Ex. gr. DEUM unum in essentia trinum in personis esse, CHRISTUM natum esse ex virgine, Christum scilicet Deum esse & hominem in una persona, redemisse genus humanum &c.

P. AUGUST. At ego adhuc nego minorem. Saepe assumitur propositio naturaliter cognita, & ex ea in Theologia aliquid concluditur:

CALIXT. Esto: neque ego hoc nego. Verum nihilominus conclusionem naturaliter cognosci falsum est. Ex una enim propositione non sequitur conclusio, sed ex duabus. Altera licet naturaliter sit cognita, alteram tamen necesse est aliunde adsumi, & hujus merito sequitur conclusio, quae naturaliter cognosci non poterat. Dabo exemplum. In Christo esse humanam voluntatem, conclusio est Theologica, quam nemo dixerit naturaliter notam esse. Illa tamen bene concluditur contra Monotheletas ex altera naturaliter nota in hunc modum:

Qui est homo, habet humanam voluntatem:

Christus est homo:

E. Christus habet humanam voluntatem.

Major naturaliter nota est, sed minor non; & propter eam sequitur conclusio similis. Manifestum igitur est, de conclusione non posse verè affirmari, quod sit naturaliter nota, licet in Syllogismo, per quem colligitur, adsumatur praemissa naturaliter cognita.

P. AU-

P. AUGUST. Nego illam tuam minorem : Conclusiones Theologicae tantum creduntur. Evidenter sciri potest, quod conclusiones tantum sequantur & deducantur ex praemissis, neq; hoc quisquam negare poterit, & patet ex Syllogismo, quem ipse modo exempli loco adduxisti.

CALIXT. Tu fallis æquivocatione.

P. AUGUST. Neminem fallo aut fallere cupio.

CALIXT. Noli id accipere quasi injuriosè dictum. Est modus loqvendi, tu fallis æquivocatione i. e. committis fallaciam æquivocationis, quod sic ostendo. Cum inter nos disceptetur de evidentiâ conclusionum Theologicarum, an nimirum de ipsis dici possit, quod naturaliter cognoscantur, tu quasi hoc ostensurus subinfers æquivocè evidentiâ consequentiarum, quæ longè diversa est. Hanc ego concedo, & non tantum concedo, verum summopere exigo, nimirum, ut quicumq; vult Theologicè aliquid concludere, ille hoc faciat per bonam & evidentem consequentiâ i. e. per Syllogismum, ut quilibet videat & intelligat, ex illis praemissis talem sequi conclusionem. Sed, ut dixi, evidentiâ consequentiæ nihil facit ad evidentiâ conclusionis. Patet in exemplo. Omnis lapis est arbor : Omnis homo est lapis : E. Omnis homo est arbor. Consequentiâ bona est & evidens, at tantum abest, ut propter evidentiâ consequentiæ conclusio sit evidens, ut nequidem vera sit. Patet igitur, te non infringere meam minorem per id, quod consequentiæ in Theologia sint evidentes, atque naturaliter cognoscantur & dijudicentur. Hoc enim posito, quippe una est ratio sive modus faciendarum consequentiarum, & Theologiae cum reliquis disciplinis communis: non tamen sequitur, conclusiones esse evidentes & naturaliter cognitâs.

P. AUGUST. Distinguo illam minorem : Conclusiones Theologicae sive articuli fidei tantum creduntur, De quibusdam verum est, de quibusdam non est verum.

CALIXT. Hoc est negare, non distinguere, minorem. Minorem enim simpliciter affirmat, articulos fidei tantum credi, & non sciri per rationem.

P. AUGUST. Eam igitur infringo per manifestam *εὐσέβειαν*. **DEUM** esse est articulus fidei, & nihilominus illud naturaliter cognoscitur.

CALIXT. Nego, quòd sit propriè articulus fidei.

[P. August. admirabundus expansis manibus dicebat: BONE DEUS! Hoc ego profecto, quòd Deum esse non sit articulus fidei, per totam vitam meam non audivi. Dn. Rintorffius & alter Jesuita æqvè super hac re obstupesciebant.]

Si meminisse voluisset, quod statim à principio in summa D. Thomæ non potuit non olim legisse, haud hoc ita tanquam inauditum admiratus fuisset. Ita verò habetur part. 1. quæst. 2. art. 2. ad primum: *Ad primum dicendum, quòd DEUM esse, & alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1. non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos fidei propriè ita dictos, per quos, nemo est, qui aliud intelligat, quàm mysteria.*

CALIXT. Si igitur hætenus per totam tuam vitam non audivisti, nunc audias licet. Hujusmodi propositiones, quæ cognoscuntur per lumen rationis, & in Philosophia demonstrantur, ut Deum esse, esse unum, item, animam esse immortalè, non esse articulos fidei propriè & purè dico. Et hoc ideo, quia demonstrari possunt, & à gentilibus etiam sciuntur, ut patet ex 1. cap. ad Rom. nisi tu fortè tuos articulos fidei apud Homerum, Platonem, & Aristotelem invenias, quod ego ignoro. Deinde sub ea ratione, secundum quam deducuntur ex principijs naturâ notis, non sunt articuli fidei. Atque hoc maximè huc facit & ad rem. Nos enim agimus de conclusionibus, secundum quas ex principijs naturaliter cognitis deducuntur. Secundum hanc igitur rationem nego esse articulos fidei, imò secundum hanc rationem nego esse propositiones propriè Theologicas. Sunt conclusiones, quæ pluribus & diversis argumentis probari possunt, & ex earum numero sunt etiam illæ, de quibus dixi. Sic in Philosophia eadem conclusio demonstrari potest per syllogismum apodicticum, & probabiliter ostendi per syllogismum topicum, ut ita ejusdem conclusionis habeam opinionem & scientiam. Eodem modo hæ propositiones, DEUS est unus, anima est immortalis, probantur ex Scriptura: atq; sic dici possunt, quòd credantur & sint articuli fidei, sed non propriè, & purè, quia non minùs, ut dictum est, sciuntur etiam ab hominibus Ethnicis. Deinde demon-

stran-

strantur lumine rationis è principijs & præmissis naturaliter cognitis, atq; secundum hanc rationem, de qua nos agimus, non sunt articuli fidei, nisi dicere velimus, Aristotelem tractare & docere articulos fidei.

P. AUGUST. Quæcunq; propositio habetur in Theologia, dici potest Theologica.

CALIXT. Purè & propriè Theologica, nego. Notum enim est, usitatum esse, ut una disciplina aliquid ex alia assumat & mutuetur, quod ejus proprium fieri non potest, sed manet commune & mutuatum. Applico ad nostram quæstionem hoc syllogismo:

Quicquid est propriè Theologicum & articulus fidei, non est commune cum Ethnicis:

Sed cognitio harum propositionum, DEUS est unus, &c. communis est cum Ethnicis:

Ergo propriè non est Theologica, neq; articulus fidei.

Possim etiam sic argumentari propius ad rem:

Quod est proprium Philosophiæ, non est proprium Theologiæ, & nullo fortè modo Theologicum:

Sed cognitio harum propositionum, sub ea ratione, secundum quam deducuntur è principijs naturaliter notis, est propria Philosophiæ:

Ergo non est propria Theologiæ, & nullo fortè modo Theologica.

P. AUGUST. Nego illam majorem: Quod est propriè Theologicum, non est commune cum Ethnicis.

CALIXT. Si negas, incurris contradictionem in adjecto. Si proprium est, non est commune: si est commune, non est proprium.

P. AUGUST. Ego nego.

CALIXT. Negas quæ sunt manifestissima & evidentissima; provocho ad iudicium auditorum, an hoc negari possit. Manifestum nunc est, principium à te designatum nimis latum esse, neque posse esse principium Theologicum, quia natura notum est. Cujus enim discursus sive disciplinæ primum principium naturâ notum est, ipse etiam discursus & tota disciplina naturaliter nota est, quod de Theologia affirmare absurdum, Deinde alio vitio laborat tuum

principium, nempe probari potest per aliud medium, & propterea
 nequit esse primum principium, quale nos quarimus. Scilicet:
 Quidquid DEUS revelat, est infallibiliter verum, præsupponit hoc:
 DEUS non potest errare aut fallere; & hoc vicissim alteri incum-
 bit, nempe quia DEUS continet in sese eminenter omnimodam
 perfectionem, & ab omni imperfectione remotissimus est. Sed
 etiam hoc ipsum ex infinitate essentia ipsius cognoscitur. Atqui
 hæc transeant; accedamus propius ad ipsas theses. Quid ergo tibi
 videtur de nostro principio, quod in secunda thesi positum est?

P. AUGUST. Illud verum est.

CALIXT. Deo agenda sunt gratia, quod religio & doctrina
 nostra hujusmodi innitatur principio, quod verum esse ab ipsis ad-
 versarijs concedatur.

P. AUGUST. Est quidem verum, adhibita tamen distin-
 ctione.

CALIXT. Quid tu hic distingues?

P. AUGUST. Ego non possum vestra Biblia recipere: osten-
 dam vobis multa loca, quæ in vestris Biblijs omissa aut depravata
 sunt.

CALIXT. Quid dicis de nostris Biblijs? Nostra Biblia sunt
 fontes Hebraici & Græci. Nos nullam versionem fontibus æqua-
 mus, nedum præferimus, quod vos facitis, hominum scilicet operas
 ei, quod immediatè à Deo profectum est.

P. AUGUST. Nulla Scriptura est immediatè à Deo.

CALIXT. Agnosco. Usus enim est Deus hominibus san-
 ctis, tanquam instrumentis ad scribendum: sed dixi immediatè
 respectu versionum. Fontes enim certè immediatius sunt à Deo,
 quàm versiones, ad quas alia adhuc accedere media, eaq; non instru-
 cta illis privilegijs & prærogativis non errandi, quas habuere scripto-
 res fontium: id quod ipse non diffiteberis. Fontes autem esse inte-
 gros & incorruptos doctissimi quique vestris, & harum rerum peri-
 tissimi ultro fatentur, ut Arias Montanus, & ipse Bellarminus.
 Ne igitur habeas causam cavillandi nostra Biblia, quibus innitimur,
 sunt Biblia totius orbis Christiani, Biblia Hieronymi & Augustini.
 Ponamus itaque in medio vetus Testamentum Hebraicè, & novum
 Græ-

Græcè; ex ijs, & non ex his aut illis versionibus tecum disputare paratus sum de quibuscunqve inter nos controversijs.

P. AUGUST. Non profiteor ego me tantum esse Hebraicum.

CALIXT. Pergamus ad rem ipsam, Principium nostrum, quia à te admittitur, non opus est ut ego probem. Tuum verò credo tandem agnosces illud esse, quod positum est in prima thesi.

P. AUGUST. Non agnosco. Illud est principium nostrum, quod jam pridem à me datum est.

CALIXT. Sed ego ostendi, id non esse principium Theologicum, & puto satis manifestè.

P. AUGUST. Verba sunt, nihil ostendisti.

CALIXT. Quid ni ostenderim? iudicium esto penes auditores; eandem enim crambem non reponam. Etiam si verò quod posui, pro primo principio vestræ religionis non agnoscis, veritus, ut opinor, ne animi auditorum re absurda statim ab initio offendantur; agnosces tamen ad minimum; vos ita docere & pro vero agnoscere: *Quicquid Romanus Pontifex determinat, est infallibiliter verum.*

P. AUGUST. Respondeo, me id pro vero agnoscere, infallibilem esse Pontificem, sed adhibita distinctione; cum docet ut Pontifex ex cathedra, & proponit aliquid ab omnibus fidelibus credendum.

CALIXT. Neq; ego aliter accipio, idq; ipsum innuere volui per vocabulum *determinat*, tunc enim docet ut Pontifex, & ex cathedra, quando determinat. Quoniam autem hæc propositio probatione indiget, (neq; enim evidens est, aut per se nota, imò abhorret multò magis à communi sensu, scilicet hominem aliquem esse infallibilem, & eum quidem hominem, quem ipsi non diffitemini sæpe Caligula aut Nerone meliorem non esse,) non habet, inquam, ullam probabilitatem, sive credibilitatem; demonstrari igitur opus est argumentis, quæ fidem faciant. Quare à te peto, ut argumentis illud, sicut par est, confirmare velis.

[P. August. detrectabat; cæteri urgebant, ut faceret. Dicebat ille, se paratum esse, si quid ex se discere vellent, ad docendum. Cæterum, ajebat, neque nostram religionem propugnare volo, neque vestram oppugnare.]

CALIXT. Non est nobis opus tua institutione. Noris obquam

quam causam huc vocatus sis. Et certè miror, quomodo nos docere velis, & tamen neque vestram religionem propugnaturus sis, neque nostram oppugnaturus. Quid enim aliud est docere, quam confirmare ea quæ vera sunt, refellere quæ falsa sunt? An tu alium docendi modum invenisti? Si alium habes, age doce nos, id enim cupimus i. e. demonstra propositionem, quam veram esse dicis, ego autem falsam, aliquo argumento.

[P. August. permanebat in proposito. Scio, inquit, hoc Colloquium propter Nobilissimum Dominum institutum esse: si ille à me capita religionis nostræ doceri, explicariq; cupit, ad id faciendum paratus sum: tecum nihil mihi erit negotij.]

CALIXT. Oportet esse. Memineris, cur huc veneris, & quid à te postulatum sit. Non indiget Nobilissimus Dominus, ut audiat ex te capita vestræ religionis, ea enim probè novit, & satis intelligit. Cæterùm dubitat, an probari & defendi possint. Hoc igitur in gratiam ipsius præstes. Quod si nolis, tuam causam suspectam reddis.

P. AUGUST. Non debet Catholica religio ex mea persona judicari. Etiam si me disputando superaveris, nihil officiet Catholicæ religioni, neque inde concludi debet, Catholicam religionem defendi non posse; de qua re protestor.

CALIXT. Assentior. Præsta modò quantum in te est.

P. AUGUST. Video etiam à vobis ea quæ dicimus annotari & scribi, [scribebat enim Christophorus Siltmannus] sine dubio postea edituri estis. Vos parati accessistis ad disputandum.

CALIXT. Ne vereare, non edentur, neque in illum finem scribuntur, sed memoriæ ergo, ut scire possimus, quæ argumenta fuerint proposita, & qua forma. Ego autem non alio modo paratus sum, quam quotidie soleo esse. Neque tu nescius fuisti, quid hîc tibi, si venires, agendum esset. Perge verò ad rem ipsam. Quin ego pro te ex principio, quod tuum esse voluisti, argumentum formabo.

Quicquid Deus revelavit, verum est:

Romanum Pontificem in determinando esse infallibilem,
Deus revelavit:

Ergo verum est,

In

In majore est tuum principium, aliter ex eo argumentari non potes.

P. AUGUST. Esto, sit ita.

CALIXT. Agnoscis igitur illum syllogismum pro tuo? Bene. Nego minorem.

P. AUGUST. Minorem probo ex Scriptura Matth. 16. Johann. ult.

CALIXT. Argumentare in forma. Syllogismum oportet esse talem:

Quicquid S. Scriptura dicit, (Deus revelavit) verum est:

At Pontificem esse infallibilem Scriptura dicit.

Ergo id est verum.

Quomodo probabis majorem hujus prosyllogismi?

P. AUGUST. Major est vestrum principium, de eo vos videritis. Ego ne debeo vestrum principium probare?

CALIXT. Nostrum principium non opus est ut tu probes: interim hæc propositio nunc est major in tuo syllogismo. Præmissas autem tuorum syllogismorum probare teneris. Non autem peto probationem majoris, quod ego eam negem, sed quod à te primum principium in vestra via seu doctrina extorquere velim. Quamdiu enim præmissæ indigent probatione, tamdiu primum principium non habemus. At scio à vobis summopere urgeri & quæri, quodnam sit, quod isti propositioni fidem faciat. Illud verò natura notum, quod supra dedisti, hinc tibi non succurret. Quærendum igitur est aliud, quod & ipsum si naturam notum fuerit, frustra erit. Propositio enim de qua quæritur & dubitatur, non est talis, quæ naturaliter cognoscatur.

P. AUGUST. Scriptura probatur per autoritatem Ecclesiæ.

CALIXT. Bene! mox videbimus, quàm pulchrè probationes vestræ redeant in orbem. Transeo enim ad minorem, in qua infallibilis autoritas Pontificis ex Scriptura probanda proponitur. Quàm rectè, statim examinabimus. Interim oportet aliquid monere: è minore tua contra te aliquid colligo, quod complector hoc Syllogismo.

Per quod aliquid probatur, hoc ipsum in ordine ad nostram cognitionem notius est, quàm quod probatur:

C

Sed

Sed per auctoritatem Scripturæ infallibilis auctoritas Pontificis probatur, ut patet ex tua minore :

E. Auctoritas Scripturæ in ordine ad nostram cognitionem est notior, quàm auctoritas Pontificis.

P. AUGUST. Concedo totum. Id non est contra me.

CALIXT. Ex hoc concessio ulterius colligo.

Si auctoritas Scripturæ quoad nos notior est, quàm auctoritas Pontificis, notior eadem est, quàm auctoritas Ecclesiæ.

Sed prius verum est, & concessum.

E. & posterius, nempe auctoritas Scripturæ quoad nos notior est, quàm auctoritas Ecclesiæ.

Unde patet, quòd auctoritas Scripturæ, utpote notior, non possit probari per auctoritatem Ecclesiæ, quippe quæ ignotior sit, & ipsa indigeat probatione ex Scripturis deprompta. Ex tua itaque minore falsum esse evinco, quod modò dixisti : auctoritas Scripturæ probatur per auctoritatem Ecclesiæ.

P. AUGUST. Proba consequentiam in maiore tui prosyllogismi, ea enim nulla est.

CALIXT. Optima est secundum vestram ipsorummet doctrinam. Major est : si auctoritas Scripturæ quoad nos notior quàm auctoritas Pontificis, notior etiam eadem est, quàm auctoritas Ecclesiæ. Consequentia valet, quia secundum vos, quicquid est infallibilis auctoritatis in universa Ecclesia, id ipsum residet in solo & uno Pontifice. Bene igitur sequitur, si auctoritas Scripturæ notior est auctoritate Pontificis, notior etiam est auctoritate universæ Ecclesiæ. Annon agnoscis, vestram doctrinam esse, solum Pontificem in universa Ecclesia infallibilem esse, sive obtinere infallibilem auctoritatem determinandi atque definiendi de rebus fidei?

[P. August. initio quidem hoc agnoscebat, sed mox mutato animo, cum animadverteret, hoc concessio, superioris consequentiam, quam negare satagebat, negari non posse, & fortè etiam offensionem veritus, inficiabatur & dicebat, Pontificem esse infallibilem, hoc se agnoscere & docere, non autem solum Pontificem esse infallibilem.]

CALIXT. contrà instabat, hanc communem esse doctrinam omnium Jesuitarum, & quærebat locum in Bellarmino, unde id
osten-

ostenderet. Sed cum illam sententiam conceptis verbis expressam invenire non posset, dixit, se facile ostensurum per evidentes consequentias, illam scilicet ex ipsorum doctrina sequi.

Quicquid est infallibilis autoritatis in Ecclesia, illud vel est in Concilijs, vel in Pontifice. Si igitur non est in Concilijs, reliquum est, ut sit in solo Pontifice:

Sed non est in Concilijs, neque in particularibus, neque in universalibus:

E. In solo Pontifice.

P. AUGUST. Nego minorem. Concilium nam cum Pontifice habet infallibilem autoritatem.

CALIXT. Dico præcisè, Pontificem habere, non Concilium, ex vestra sententia, quia si Concilium in sese, ut sic, consideretur, tum non habet infallibilitatem, & errare potest; quòd si autem habeat, id fit non merito sui, sed Pontificis, cujus sententiam audiat & instructionem sequatur: sin ab illo discedat, licet omnium Episcoporum totius orbis Christiani Concilium foret, non tamen amplius est infallibile, neque habet privilegium non errandi. Pontifex autem sive cum Concilio sive sine Concilio semper manet infallibilis. Manifestum igitur est Concilia, ut sic, non esse infallibilia, sed hoc privilegium competere soli Pontifici. Equidem non possum satis mirari, quòd neges quæ manifesta sunt, & alioquin ab omnibus tuis conceduntur ultro: nescio an propriam religionem satis exactè cognitam habeas.

P. AUGUST. Distinguenda est infallibilitas. Duplex enim est: alia est revelantis, alia proponentis.

CALIXT. Non est quæstio de infallibilitate revelantis. Deus est qui revelavit; quis dubitat Deum esse infallibilem? Agitur autem non nisi de infallibilitate proponentis, scilicet in ordine ad nostram cognitionem, ut sciamus nos non decipi ab illo, qui aliquid nobis credendum proponit.

P. AUGUST. Infallibilitas autem proponentis innititur infallibilitate revelantis.

CALIXT. Et quid hoc ad rem? Infallibilitas revelantis non tribuitur à vobis Ecclesiæ, neque verò tribui potest, cum Ecclesia non revelet, sed quod à Deo revelatum est, credendum proponat. Est

igitur juxta vos in Ecclesia infallibilis autoritas ad proponendum, five definiendum ea quæ credenda sunt. De hac ipsa ex te quæro, an resideat in capite, quod Pontificem esse dicitis, an verò in membris.

P. AUGUST. Aliquando residet in capite, aliquando in membris.

CALIXT. Ergo juxta te non in solo capite?

P. AUGUST. Non.

CALIXT. Si itaque præter caput in membris etiam residet, utiq; in Concilijs generalibus sic sumptis præcisè, secluso Pontifice.

P. AUGUST. Etiam: Concilium aliquando sine Pontifice potest proponere verum dogma, membra enim sunt infallibilia passivè.

CALIXT. Nihil hoc ad rem, quòd Concilium possit proponere aliquod verum dogma: potest etiam proponere aliquod falsum, ut Ephesinum secundum approbavit doctrinam Eutychem. Ipsi vos dicitis errasse Chalcedonensem Synodum, quòd Constantinopolitanum Episcopum Romano æquavit. Possè proponere verum dogma, non facit aliquem infallibilem; nam etiam quilibet credentium potest verum dogma docere: sed non posse proponere falsum dogma, hoc demum parit infallibilitatem, propter quam scilicet is, cui proponitur, sine omni tergiversatione aut metu deceptionis assentiatur. De hujusmodi infallibilitate proponentis quæro, in quonam sit.

P. AUGUST. Respondeo ut priùs, est in Concilio unà cum Pontifice.

CALIXT. Quæro autem, an sit in Pontifice præcisè ut sic, an in Concilio ut sic, five ut est Concilium seposito etiam Pontifice.

P. AUGUST. Catholici docent, Ecclesiam esse infallibilem. Si docerent, sicuti tu contendis eos docere, solum Pontificem habere illam infallibilitatem, tum negarent infallibilitatem Ecclesiæ, & Pontificem ab Ecclesia, caput à membris segregarent: utrumque est absurdum.

CALIXT. Neutrum sequitur. Ecclesia retinet suam infallibilitatem, licet solus Pontifex sit infallibilis, quia juxta vos Pontifex est caput Ecclesiæ, atque ita Ecclesia dicitur infallibilis propter Pontificem. Sufficit enim hoc modo aliquis in Ecclesia sit infallibilis.

bilis. Sic homo dicitur rationalis, licet sola anima sit rationalis; dicitur videre, etiamsi una tantum pars ejus, nempe oculus videat. Neque sequitur: solus oculus videt, ergo homo non videt. Sic etiam non sequitur: Solus Pontifex est infallibilis: Ergo Ecclesia non est infallibilis. Deinde quod dicis, si solus Pontifex statuatur infallibilis, sequetur ipsum segregari ab Ecclesia; non hoc sequitur. Verum enim est, solum caput ex omnibus membris humani corporis continet cerebrum; non autem sequitur, ergo caput separatum & avulsum est à reliquo corpore. Sic & eodem modo verum esse poterit in vestra doctrina: solus Pontifex ex omnibus qui in Ecclesia sunt continet sive obtinet infallibilitatem: neque tamen sequitur: ergo Pontifex à reliquo corpore Ecclesiae separatus est.

P. AUGUST. Omnino necesse est sequi.

Dn. RINTORF. Nullo modo statui debet aliquid, ex quo sequatur, Pontificem avelli & separari ab Ecclesia. Ut enim membra sine capite esse non possunt, sic nec Ecclesia potest esse sine Pontifice.

CALIXT. Non sequi illud jam ego ostendi in simili exemplo, in quo manifesta fuit vanitas consequentiae.

P. AUGUST. Exemplum non est simile. Infallibilitas Ecclesiae est in Pontifice tanquam in capite, & inde communicatur membris, sicut anima vivit, & communicat etiam corpori vitam, ita ut corpus quoque vivat. At cerebrum manet intra cranium, & non communicatur cæteris membris.

CALIXT. Comparavi inter sese non tam res quam consequentias. Et in tuo exemplo sunt fallaciae. Anima vivit ut principium, corpus autem ut subjectum quod animatur: neque vita ad eum modum, quo anima vivit, corpori communicatur, nimirum ut corpus vivat tanquam principium vivendi. Sic secundum vestram doctrinam in Pontifice est infallibilitas proponendi: sic in cæteris membris infallibilitas credendi, nempe ut fide divina credant, quæ sunt infallibiliter vera, sed possunt etiam non credere. Infallibilitas autem proponendi non potest illis communicari, ob quam scilicet alius certus sit ea in docendo non posse errare, & propterea quæ docent fide indubia esse amplectenda. Sed potissimum, ut dixi, vanitatem consequentiae volui ostendere. Utrobique autem simi-

les sunt consequentiæ, quod negari non potest. Solum caput continet cerebrum: ergo separatum est à corpore. Solus Pontifex habet infallibilitatem: ergo separatus est à corpore Ecclesiæ. At possum ne ego hodie eò rem deducere, ut fatearis secundum vestram doctrinam solum Pontificem haberi infallibilem? Sic argumentabor:

In Ecclesia sunt singuli fideles, sunt Doctores particulares, sunt Synodi particulares, sunt Synodi universales, & denique Pontifex:

Jam verò singuli fideles possunt errare & infallibiles non sunt: Doctores item: nec particulares, nec universales Synodi sunt infallibiles: at Pontifex est infallibilis, neque datur in Ecclesia alius præter Pontificem, qui sit infallibilis:

Ergo rectè sequitur, solum Pontificem in Ecclesia esse infallibilem.

P. AUGUSTIN. Non valet consequentia. Est quasi sic argumentarer: Hoc præceptum possum ego servare: item hoc & hoc: E. omnia præcepta possum servare. Non valet ista consequentia.

CALIXT. Transeat tuum antecedens. Nulla est similitudo inter meam consequentiam & tuam. Tu concludis affirmativè, ego autem negativè, & per exclusivam. Deinde tuæ antecedentes sunt affirmativæ, meæ autem negativæ, nimirum singuli fideles non sunt infallibiles, neque Doctores, neque Synodi: sed solus Pontifex est infallibilis, neque alius præter eum dari potest: ergo solus Pontifex est infallibilis. Est palpabilis consequentia.

LUD. Klence: Certè ego aliud judicare non possum, neque hætenus sententiam Pontificiorum aliter intellexi, quàm eo sensu, nempe solum Pontificem esse infallibilem.

CALIXT. Dabo exemplum in simili consequentia. Cùm dico, homo videt, atqui neque nasus hominis, neque os, neque aures, neque manus, neque pes vident, sed oculi sunt qui vident, neque præter oculum in homine aliud membrum inveniri potest, quod videat: ergo solus oculus inter membra hominis videt. Est eadem consequentia, & sicuti hæc est evidens, ita etiam prior.

P. AUGUST. Simile claudicat. Membrum aliquod Ecclesiæ

siæ

fiæ utpote hic aut ille fidelis potest rectè credere, sed hoc non potest dici de pede aut manu, quòd pes aut manus possint videre.

CALIXT. Neque quæstio est, an fidelis possit rectè credere, neq; ego dico solum Pontificem rectè credere. Agimus de infallibilitate in proponendo sive determinando. Sicut non est membrum totius corporis, quod possit videre præter oculum: sic non est in universa Ecclesia, qui possit infallibiliter sine omni metu aut suspicionem falsi determinare præter Pontificem. Non dico rectè credere, sed dico infallibiliter determinare. Ovum ovo tam simile non est, quàm sunt sibi invicem hæ duæ consequentiæ.

[Hic multa ultro citroq; dicta sunt de evidentia harum consequentiarum, quæ adnotari non potuerunt.]

CALIXT. Dabo novum exemplum: sint quinque calculi. Dico inter hos calculos est aliquis albus, sed neque primus albus est, neque secundus, neque tertius, neque quartus præter quintum: ergo solus quintus albus est. Nonne est evidentissima consequentia, & similis illi nostræ, quam tu tam protervè negas?

P. AUGUST. Non possum admittere. Tu segregas Pontificem ab Ecclesia; in nostra sententia Ecclesia est infallibilis, ipse autem eam ita proponis, quasi Pontifex sit infallibilis, & Ecclesia non sit infallibilis.

CALIXT. Antea de hac re dictum fuit, neque ego vestram sententiam ita propono: neque illud ex sententia vestra, sicuti revera est, & ego illam proposui, sequitur. Ecclesia juxta vos est infallibilis. Bene: jam verò Ecclesia nonne aliquod totum est, & quidem aggregativum, quod plures habet partes, sicut civitas vel respublica?

[P. August. adsentit.]

CALIXT. Sicut igitur respublica habet jurisdictionem, & non tamen quodlibet membrum reip. eam habet; & si velim jus mihi dici, non sufficit scire, quòd resp. habeat jurisdictionem, sed oportet scire in specie quòd hæc aut illa persona habeat: sic & juxta vos Ecclesia habet infallibilitatem, sed si ipse dubius velim mihi aliquid determinari, oportebit nihilominus scire, quæ sit illa persona, quæ possit infallibiliter determinare: non enim omnes hoc possunt. Ejus autem personæ merito, quæ ad istum modum infallibilis est, & quam reliqui sequuntur, ipsa Ecclesia dicitur infallibilis.

bilis. Similiter in regno sunt jura majestatis : non autem apud omnes regni cives , sed apud solum Regem. Quod autem in regno est habere jura majestatis, nempe condere leges, id in Ecclesia est determinare, seu definire articulos fidei.

P. AUGUST. Est magna dissimilitudo. Reges in suo regno neminem superiorem agnoscunt.

CALIXT. Reges non alium agnoscunt superiorem nisi Deum, neque etiam Pontifex, non solum in spiritualibus, verum etiam in temporalibus. Tu verò tandem da gloriam Deo, cede veritati, & agnosce hanc vestram esse doctrinam. Oportet te fateri æquipollentes esse has : solus Pontifex habet jura infallibilitatis : & non est aliquod Ecclesiæ membrum, quod habeat jura infallibilitatis præter Pontificem. Quæro igitur à te, an sit aliquod Ecclesiæ membrum infallibile præter Pontificem ? Quod si nullum est, res erit manifesta. Da aliquod si nosti.

P. AUGUST. Do Concilia.

CALIXT. Concilia præter Pontificem sive Concilia ut sic secluso Pontifice infallibilia esse in vestra doctrina nego. Et revera erravit Synodus Ephesina secunda, *λησρικὴ* dicta, cum damnavit Flavianum, & approbavit errores Eutyichis.

P. AUGUST. Omnes tamen qui interfuere Synodo, non approbarunt.

CALIXT. Non obstat. Secundum vos pluralitas votorum in Synodis prævalet, & quod majori parti placet, Synodo placuisse censetur. Erravit igitur illa Synodus, quanquam fuerit universalis, & legitimè ab Imperatore Martiano convocata.

P. AUGUST. Si fuerit ab Imperatore convocata, fuit illegitima. Non habent Imperatores potestatem convocandi Concilia.

CALIXT. Si illegitimè fecit Imperator convocans Concilium, multò magis illegitimè fecit Leo Pontifex, qui precibus Imperatorem compulit, ut convocaret. Lege Epistolas ipsius Leonis, ex quibus cognosces verum esse quod dico, & ulterius accessisse consensum & voluntatem, quam vos auctoritatem interpretamini Pontificis, ejusque legatos interfuisse. Juxta vos igitur ipso Concilium fuit legitimè convocatum : & nihilominus horribiliter lapsus est. Oportet autem admodum hospitem te esse in antiquitatibus Ecclesiasti-

siasticis, quòd negas Imperatores jus habuisse convocandi Concilia. Prima enim Ecclesiæ universalis Concilia non nisi ab Imperatoribus convocata fuisse testantur non solum Historici, Theodoretus, Socrates, Sozomenus &c. verum etiam acta ipsorum Conciliorum. Sed hæc transeant. De præterea Basileense Concilium.

P. AUGUST. Illud fuit illegitimum.

CALIXT. Scio à vestris non recipi, & illegitimum haberi, non autem quòd illegitimè fuerit convocatum, id quod vestri non dicunt, sed ab eventu, quòd illegitima decreta condiderit, quemadmodum etiam Ephesinum, de quo dixi, illegitimum fuit.

P. AUGUST. Non tantum Concilium aliquod ab eventu illegitimum vocatur, sed etiam quia illegitimè convocatum est.

CALIXT. Esto. Ob hanc tamen causam neque Ephesinum neque Basileense à vestris habetur illegitimum, sed tantum ob illam alteram. Vide Bellarminum.

[Lectus fuit locus è lib. 2. Bellarm. de Concilijs cap. 11. Concilium Basileense sess. 2. unà cum Legato Pontificis communi consensu statuit, Concilium esse supra Papam; quod certè nunc judicatur erroneum.]

P. AUGUST. Potest etiam quidam privatus in Ecclesia habere infallibilitatem per peculiarem revelationem Spiritus S. Quando enim de re aliqua habet revelationem, habet infallibilitatem de ipsa.

CALIXT. Sit hoc ita; habeat quispiam privatus revelationem, & per illam hoc vel illud infallibiliter sciat; sed non est quæstio de infallibiliter scire privatim, sed in ordine ad nostram cognitionem & fidem, de infallibiliter determinare. Etsi ille certus satis sit, unde tamen ego certus ero, aut ipsum non falli, aut non velle me fallere? Neque teneo ego credere, quæ ipse mihi proponit.

P. AUGUST. Si Ecclesia approbat, teneo ego credere.

CALIXT. Patet igitur ex hisce tuis verbis, nullum privatum habere infallibilitatem quoad me, sive in ordine ad meam cognitionem & fidem, sed rediri ad Ecclesiam, & consequenter ad unum Pontificem.

P. AUGUST. Nego postremum illud.

CALIXT. Ecclesia est totum aggregativum, ut concedis, in quo sunt complures partes. Possunt enim considerari præsertim

D

quan-

quantum ad hoc negocium, 1. singuli fideles, quisque pro se. 2. Doctores particulares, singuli pro se. 3. congregati Doctores in Concilio particulari, sive Concilium particulare. 4. Concilium universale. 5. Pontifex. Annon sufficienter enumeravi?

P. AUGUST. Sufficenter.

CALIXT. Jam verò. 1. fideles singuli pro se non sunt infallibiles, ut constat & probatum est; imò ne quidem habent auctoritatem aliquam in determinando, secundum vos ipsos. 2. neque singuli Dd. ut constat. 3. neque Synodi particulares. 4. neque Synodi universales, ut probatum fuit. Restat igitur Pontifex, & nemo nisi Pontifex i. e. solus Pontifex. Ut tandem hanc odiosam cavillationem finiamus, totum includo hoc syllogismo.

Ubi sunt multæ partes alicujus totius, & aliquid removetur ab omnibus partibus, præterquam ab una, hoc ipsum competit soli isti uni parti:

Sed in Ecclesia tanquam in aliquo toto sunt multæ partes, & infallibilitas removetur ab omnibus partibus præterquam ab una, scilicet Pontifice:

E. infallibilitas competit soli isti uni, videlicet Pontifici.

P. AUGUST. Major non est simpliciter concedenda.

CALIXT. Major est evidens & nota ex suis terminis, ita ut propter suam evidentiam ulterius probari nequeat.

P. AUGUST. Potest esse aliquid in toto, quod possit removeri à singulis partibus, & non à toto.

CALIXT. Major non dicit de toto, sed de partibus: non comparat inter se partes & totum, ut quod seorsim removetur à singulis partibus, removeatur etiam à toto: sed comparat inter se partes & partes, & dicit, id quod removetur ab omnibus partibus præterquam ab una, competere soli isti uni. Tu ista proferendo aberras à janua, & majorem neque negas neque distinguis. Atque, ut vivit Deus, tu negando tam manifesta & evidentiā disputas contra tuam conscientiam.

LUD. Rence. Unicuique de sua conscientia ratio reddenda erit. Non est verisimile quemquam loqui contra conscientiam.

CALIXT. Mittamus igitur. Quoniam tu dicis Ecclesiam esse infallibilem, hoc proba, & sub his tantum terminis. Interim ne quis specioso Ecclesie titulo decipiatur, refero me ad illa, de quibus hæc-

hactenus diximus, nempe ad unum Pontificem totum negocium devolvi, & cum dicitur Ecclesiam esse infallibilem, non posse intelligi nisi Pontificem: de qua re protestor. Interea utamur ab utraque parte termino Ecclesiae. Quod praedicatum attinet esse infallibilem, significat non posse falli in explicandis Scripturis & determinationibus credendorum. Ita, credo, à te accipitur, ut jam sensus sit: Quod Ecclesia determinat, & quomodo Scripturam explicat, ita infallibiliter verum est.

P. AUGUST. Etiam. Probo hanc thesin è cap. 14. & 16. Joh. Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, manebit vobiscum in aeternum. Item: Spiritus S. quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Et: cum venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.

CALIXT. Quae sit tua thesis ipse nosti, illa non continetur expressè in allegatis locis, ut manifestum est: oportet igitur inde deduci per consequentiam, i. e. mediante syllogismo. Disputa in forma, & fac syllogismum, cujus conclusio contineat thesin probandam.

[P. August. voluit enthymema facere: sed assidentium suffragijs adactus est volens nolens ad syllogismos.]

P. AUGUST. Qui habet infallibilem adfistentiam Spiritus sancti, infallibiliter Scripturam explicat, & de fide determinat: At Ecclesia habet infallibilem adfistentiam Spiritus s.

E. Ecclesia infallibiliter Scripturam explicat, & de fide determinat.

CALIXT. Proba minorem.

P. AUGUST. (post longas deliberationes)

Cui promittitur infallibilis adfistentia Spiritus s., habet eam: Ecclesiae promittitur infallibilis adfistentia Spiritus s.

Ergo habet eam.

CALIXT. Proba & hanc minorem.

P. AUGUST. Illa continetur in locis allegatis: textus Scripturae non potest negari.

CALIXT. Loca illa non accipienda esse de adfistentia, qualem vos vobis imaginamini, neque de Ecclesia, qualis à vobis fingitur, mox ostendam, paucillum morae aegre non feras. Interea colligo ex hisce tuis argumentationibus, & ex hac tuae minoris probatione,

Scripturæ autoritatem quoad nos, siue in ordine ad nostram cognitionem notio- rem esse quàm auctoritatem Ecclesiæ. Hanc enim per illam probas. Probatio verò fit per notiora, ut manifestum est.

P. AUGUST. Agnosco hoc ipsum.

CALIXT. Jam tandem bene facis. Si idem antè fecisses, non opus fuisset tam diu de solo Pontifice litigare. Hoc unum. Deinde quæro ex te, an illa loca Scripturæ quæ proposuisti, & ex quibus infal- libilem Ecclesiæ autoritatem probare conaris, clara sint aut obscura.

P. AUGUST. Sunt clara per se.

CALIXT. Quæro an sint clara quoad me. Non intelligo quid sit clarum esse per se. Rem esse claram, hoc puto dici respectu alicujus intellectus siue divini, siue angelici, siue humani, cui sit clara. Interim quicquid sit, quæstio est de respectu ad nostram cognitionem. Quæro, an illa loca sint ita clara, ut tuam thesin in ijs contineri mihi, tibi alijsq; manifestum sit.

P. AUGUST. Non sunt, nisi accedat interpretatio Ecclesiæ. Adhibita enim auctoritate Ecclesiæ mihi constat ita esse accipienda, quum Ecclesia non erret.

CALIXT. Ergo inde demonstro, te in probatione tuæ the- seos principium petere. Thesis tua est: Ecclesia in interpretandis Scripturis est infallibilis, probatur per loca Scripturæ. Quum verò ea intelligi nequeant, neq; in hoc sensu accipienda esse manifestum sit, ita accipienda esse probatur, quia ita accipit Ecclesia, quæ in inter- pretandis Scripturis est infallibilis. En manifesta petitio principij.

P. AUGUST. Catholicis jam olim objectus est circulus à Calvinistis, sufficienter & eruditè respondit P. Becanus: quò ego me refero.

CALIXT. Tecum mihi nunc res est, non cum Becano. Neq; nunc tibi circulum objicio, de quo in posterioribus Analyticis, quod est, quando hoc probatur per illud, ut A per B, & vicissim illud per hoc, ut B per A: sed objicio tibi petitionem principij, de qua in Elen- chis Sophisticis, quæ est, quando idem probatur per idem, ut A per A: Ecclesia est infallibilis, probatur, quia Ecclesia est infallibilis.

P. AUGUST. Circulus nobis solet objici, non petitio principij.

CALIXT. Est etiam circulus in vestra doctrina, ut cum auto- ritatem Scripturæ ab Ecclesia dependere dicitis, & vicissim Ecclesiæ auto-

autoritatem per Scripturæ autoritatem probatis, sed hoc tibi nunc non objicio, verum quod idem probes per idem. Duplex enim est petitio principij: una, cum ignotum probatur per æquè ignotum: altera, cum idem probatur per idem, ut cum dico, anima est immortalis, quia non interit: immortalem enim esse idem est quod non interire. Hunc posteriorem petitionis principij modum tibi objicio, nempe quia hanc conclusionem: quomodo Ecclesia Scripturam interpretatur, ita infallibiliter interpretanda est, probaturus eandem in probationibus repetis.

P. AUGUST. Non est circulus aut petitio principij, quia datur hic mihi aliquid notius, quod ignotum superat.

CALIXT. Quid hoc est dicere? resolvamus tuas argumentationes. Hæc propositio: quomodo Ecclesia Scripturam interpretatur, ita infallibiliter interpretanda est: hæc, inquam, propositio ignota est, & dubia, & probanda. Probatur autem, quia Scriptura ita docet. Fit syllogismus:

Quod Scriptura docet, est verum:

Sed Ecclesiam in definiendo & Scripturis interpretandis infallibilem esse Scriptura docet:

E. id verum est.

Minor autem probatur: quia Scripturam, quæ docet hoc, & alioquin obscura est, ita interpretatur Ecclesia. Fit iterum Syllogismus:

Quomodo Ecclesia Scripturam interpretatur, ita infallibiliter interpretanda est:

Sed Scripturam ad eum modum, quod Ecclesia infallibilem interpretandi autoritatem habeat, Ecclesia interpretatur:

E. Scriptura ad eum modum infallibiliter interpretanda est.

Vides nunc, eandem propositionem, quæ ignoratur & probari debet, in sui probatione repeti, & per semetipsum probari, quia manifestior petitio principij alia esse non potest. Ita argumentor.

Quando petitur probatio alicujus conclusionis, & illa ipsa conclusio pro probatione adsumitur, committitur petitio principij:

Sed hic hoc fit, nempe conclusio probanda fit major pro syllogismi:

E. hic committitur petitio principij. Responde ad hoc argumentum.

D 3

P. A. U.

P. AUGUST. Nego majorem.

CALIXT. Domine discite Logicam. Majorem esse veram sciunt etiam pueri Logicorū, qui Epitomen aliquam Logicæ legerunt.

P. AUGUST. Sunt hīc diversi respectus.

CALIXT. Hoc esset ad minorem: sed ostende illos. Est eadem propositio totidem verbis & terminis quæ est probanda, & quæ est major in prosyllogismo. Ostende igitur diversos respectus, qui ex eadem propositione non eandem faciant. Oportet autem esse reales. Quod enim diversitas quædam sit à ratione orta, nempe eadem enunciatio in uno Syllogismo sit conclusio, in altero major, hoc non facit enunciationes diversas. Ob hujusmodi diversitatem non potest negari petitio principij: alioquin & in hoc syllogismo posset negari:

Omnis risibilis est risibilis:

Omnis homo est risibilis:

E. Omnis homo est risibilis.

Positis talibus respectibus, nihil variatur in ipsa enunciatione.

P. AUGUST. Ecclesia dat mihi clariorem respectum, quam Scriptura.

CALIXT. Quid loqueris? hoc ego nego: Conclusio probanda, & major prosyllogismi per quem probatur, est una & eadem propositio, totidem terminis, iisdem verbis: estq; ipsa illa ignota aut incerta, de qua dubitatur, neque dum facta nota aut certa, ipsissima, inquam, est conclusio & major. Est igitur evidentissima petitio principij.

P. AUGUST. Catholici negant esse petitionem principij.

CALIXT. Catholici illi fortè negarent se esse homines. Non sufficit in re evidenti negare.

P. AUGUST. Hodie aliud ex me non audies, nec extorqvebis, quam Catholicos ita docere, & constanter negare, quòd in illo argumento ulla committatur petitio principij. In eo ego acquiesco.

CALIXT. Si aliter te defendere non potes, cecidisti causâ.

Et tantum horis matutinis ante prandium.

Quæ sequuntur, acta sunt horis pomeridianis!

P. AUGUST. Quoniam hodie manè ante prandium de principio nostræ religionis disputatum fuit, operæ precium fuerit ad vestrum quoq; transire, & illud etiam examinare.

CA-

CALIXT. Bene. Verum quid hic examinabis aut refutabis? Nostrum enim principium verum esse concedis, neque sine blasphemia concedere non potes.

P. AUGUST. Quod Scriptura docet, est infallibiliter verum; hanc ego propositionem veram esse non nego: sed nego esse primum principium doctrinae fidei; Christianae, in quod nimirum ipsa ultimo resolvatur. Placet itaque contra thesin tuam secundam in hunc modum insurgere:

Cujus autoritas in ordine ad nostram cognitionem pendet ab alia autoritate, id non potest dici principium, scilicet primum in compositione & ultimum in resolutione:

Sed Scripturae autoritas in ordine ad nostram cognitionem pendet ab alia autoritate:

E. Scripturae autoritas non potest dici principium fidei & religionis, scilicet primum in compositione, & ultimum in resolutione.

CALIXT. Respondeo ad minorem distinguendo. Fides & assensus, quem habemus Scripturae, dependet ab aliqua autoritate vel ut a causa per se, vel ut a causa sine qua non, & occasione inductiva ad credendum, sive etiam verbi gratia, ut a Topico quasi argumento. Si posteriore hoc modo accipis, concedo tibi tuam minorem, atque ita non erit dissensio inter nos. At per illam aliam autoritatem scio te intelligere autoritatem Ecclesiae: si accipis eam tanquam occasionem sive causam sine qua non, sive argumentum Topicum, persuadens, inducens, inclinans, & viam muniens assensui, qui habetur Scripturae, equeidem non pugno. Homines enim ejusmodi occasionibus ad fidem solent manu duci. Ipse si juratus examiner, quomodo eò pervenerim, ut Scripturae autoritatem divinam esse crediderim, non possem aliud respondere, quam autoritatem meorum parentum, Scripturam mihi puero proponentium & commendantium, huic rei causam dedisse. Interim mea fides, qua credo Scripturam esse divinam, non resolvitur ultimo in autoritatem parentum meorum. Ad eum modum ultro concedo, Ecclesiae autoritatem multis & fortè plerisque causam esse, sive potius conditionem quampiam, sine qua non credidissent.

P. AUGUST. Atqui non intelligo talem modum dependentiae.

CA-

CALIXT. Ergo accipis tuam minorem in priori sensu, nempe ut Scriptura dependeat ab aliqua autoritate, tanquam à causa per se. Scripturam autem à Deo dependere simpliciter, & quoad se, negari non debet: sed de ea re non est quæstio, & rectè à te adjectum fuit, *in ordine ad nostram cognitionem*. Quæstio igitur est inter me & te: An autoritas Scripturæ in ordine ad nostram cognitionem, hoc est, illa fides, quæ credimus Scripturam esse divinam & infallibilem, fides, inquam, Christiana, non persuasio aliqua aut opinio, quippe fides, quæ ita credimus Scripturæ, ut malimus centies mori, quàm Scripturæ renunciare: an, inquam, hæc fides dependeat tanquam à causa per se ab alia autoritate, quàm ab autoritate ipsiusmet Scripturæ? In hoc sensu oportet te accipere minorem: aut si non accipis, mihi non contradicis. In eo autem sensu ego minorem nego, tu autem proba eam.

P. AUGUST. Probo.

Cujus autoritas à proponente dependet, illa in ordine ad nostram cognitionem dependet ab alia autoritate:

Sed autoritas Scripturæ dependet à proponente:

E. Autoritas Scripturæ in ordine ad nostram cognitionem dependet ab alia autoritate.

CALIXT. Respondeo ad minorem sicut priùs: si vis, autoritatem Scripturæ dependere à proponente tanquam à causa sine qua non, bene habet, concedo minorem, adeoq; etiam in eo sensu totum syllogismum, neque enim contra me est: sed si intelligis, ut oportet te intelligere, autoritatem Scripturæ dependere à proponente, tanquam causa per se, nempe, ut qui proponit mihi Scripturam, causa per se sit ejus fidei Christianæ & divinæ, quæ firmissimè, certissimè & excluso omni deceptionis metu Scripturæ assentior; ita, inquam, nego minorem, & consequenter eam, quæ ex illa deducitur, conclusionem. In hunc verò modum & sensum oportet te concludere, si velis contra me argumentari, nempe: Ergo autoritas Scripturæ in ordine ad nostram cognitionem per se dependet ab alia autoritate.

P. August. cœpit hanc conclusionem enthymemate probare. Calixtus rejiciebat enthymema, & ostendebat hoc esse instrumentum Rhetorici, & ejus, qui conetur persuadere sive vera, sive falsa; non autem Logici, & ejus, qui simpliciter veritatem inquirat. Instrumentum autem huic rei

ido-

idoneum esse syllogismum, in quo consequentia sit manifesta, quæ in enthymemate sæpe negari possit, & probatione indigeat: & hanc dari non posse, nisi extruatur integer syllogismus: si alia via probentur consequentiæ, rem intrinsecari. Assidentes assensere, & adactus P. August. ad faciendos syllogismos: qui tandem ægrè hunc confecit:]

P. AUGUST. Sine quo non habetur infallibilis assensus, illud istius assensus causa est per se:

Sed sine autoritate proponentis Ecclesiæ non habetur infallibilis assensus, quo Christianus fidem habeat Scripturæ:

E. Autoritas proponentis Ecclesiæ istius assensus causa est per se.

CALIXT. Quicquid sit de minore, major est manifestò falsa. Non statim sine quo res esse non potest, id istius rei vera & per se causa est. Norunt hoc, qui primoribus labris doctrinam causarum degustarunt. Nil generari potest sine loco, sine tempore: interim locus & tempus generationis causa non sunt. Motus nequit esse sine termino à quo: an propterea terminus à quo est causa motus?

P. AUGUST. Infallibilis assensus, quo credimus sacra Scripturæ, dependet ab infallibili proponente:

Autoritas sacra Scripturæ dependet ab infallibili proponente:

E. Infallibilis assensus, quo credimus S. Scripturæ, per se causatur ab infallibili proponente.

CALIXT. Cujus figuræ, cuius modi est ille syllogismus? Quot sunt in eo termini? est vitiosus in forma. Facito syllogismos, qui in forma sibi consent, & respondebo: si commodè proferre non potes, cape chartam & scribe. Noli te præcipitare, sed meditatus licet, quod in animo habes, proferas. Non quærimus hîc gloriam à promptitudine ingenij, sed veritatem.

P. August. cœpit meditari, & fari, & scribere, & se torquere; tandem hunc protulit Syllogismum:

P. AUGUST. Si autoritas sacra Scripturæ in ordine ad nostram cognitionem ita dependet à proponente, ut sine illo non possit habere autoritatem, dependet à proponente ut à causa per se:

Sed Autoritas S. Scripturæ in ordine ad nostram cognitionem

E

ita

ita dependet à proponente, ut sine illo auctoritatem habere non possit :

E. Auctoritas S. Scripturæ in ordine ad nostram cognitionem ita dependet à proponente, ut à causa per se.

CALIXT. Ad majorem respondeo, quod prius ad superiorem tuam majorem respondi. Nam sicut illa, ita & hæc est manifestò falsa. Non enim omne, sine quo res esse non potest, id istius rei vera & per se causa est.

DN. Xintorff/ Quid proficimus istis disputationibus? Quis enim earum iudex erit, & inter vos litigantes tandem discernet?

CALIXT. Disputationes fructu suo non carent.

DN. Xintorff/ Atqui nos caremus iudice. Hic manifesta est necessitas iudicis. Quis enim sententiam feret, uter vestrum veram sententiam defendat?

CALIXT. Reverende Domine, non est quòd solliciti simus de iudice, eum inventum nobis dabo, priusquam ex hoc loco discesserimus. Alteruter nostrum eò redigetur, ut aut deficiat in probando, aut sibimet contradicat, aut neget quæ sunt manifestò vera. Habebit tum ille suum iudicem, quo major alius dari non poterit, scilicet propriam conscientiam : qui in illam nihili fecerit, pone mille iudices, & hos multò minoris faciet. Iudex itaque noster erit, deficere in probando, vel redigi ad contradictoria aut absurda. Is iudex brevi nobis aderit. Interim nos tantum pergamus in disputando, & conclusio probanda probetur per syllogismum in forma.

P. AUGUST. Si auctoritas proponentis est causa auctoritatis S. Scripturæ in ordine ad nostrum assensum, ita ut non detur alia, tum est causa vera per se :

At auctoritas proponentis (Ecclesiæ scilicet) est causa auctoritatis S. Scripturæ in ordine ad nostrum assensum, ita ut non detur alia :

E.

CALIXT. Nego minorem.

P. AUGUST. Minor est vera, & manebit vera, quamdiu non dabitur alia causa, à qua dependeat auctoritas Scripturæ in ordine ad nostrum assensum. Non autem dabitur alia. Quòd si igitur minorem negare velis, oportebit à te aliam causam proferri. Interea nego esse aliam : tibi incumbit probare, quòd sit alia.

CA.

CALIXT. Equidem mea sponte hoc in me recipio, aliam
 eamq; veram causam prolaturus, simulq; tuam minorem improba-
 turus. Prius autem quam hoc fecero, meam sententiam brevibus
 proponam & explicabo, deinde probabo. Quæritur de autoritate
 verbi Dei sive S. Scripturæ in ordine ad nostrum assensum, ejusq; cau-
 sa per se propria & proxima, i. e. quæritur, quæ sit propria & proxi-
 ma causa per se istius assensus, quo Christianus credit Scripturam esse
 divinam & infallibilem. Quæritur, ut patet, de assensu hominis
 Christiani, divino illo, ut ita dicam, & excludente omnem suspicio-
 nem falsi, in tantum, ut Christianus de veritate & infallibilitate Scri-
 pturæ in animo suo certissimus malit quodvis supplicium subire,
 quam illam, de qua persuasissimus est, veritatem abnegare. Porro quæ-
 ritur de hujusmodi assensus causa, non inductiva, ut per accidens, aut
 sine quâ non; sed causa per se, & in ordine ad ipsum illum assensum
 propria & proxima. Quoniam autem secundum nos & veritatem
 primum Theologiæ & religionis principium hoc est: Quicquid
 Scriptura docet, hoc est verum: propterea id ipsum aliunde non pro-
 batur propriè vereq;. Interim bene concedo extare argumenta,
 quæ inducant & inclinent, fidemq; humanam & opinionem, ut ita di-
 cam, faciant. Similiter ob eandem causam assensus istius Christiani
 & divini, quo Scripturæ credimus, non est alia causa per se propria &
 proxima, quam ipsa Scriptura, seu potius efficacia & vis quædam
 Scripturæ sibi met ipsi fidem facientis. Hæc autem inde est, quod
 Scriptura verbum est non hominum, sed Dei, & est efficacia quædam
 verè divina, quæ testimonium reddit animo credentis de veritate
 verbi. Hoc ipsum agnovit Gregorius de Valentia Tom. 3. disp. 1.
 quæst. 1. punct. 4. th. 2. Dico igitur, Christianus non credit Scriptu-
 ræ fide Christiana propter aliquod aliud argumentum, quam propter
 ipsam Scripturam, intrinseca & divina quædam sua vi animos affi-
 cientem & trahentem. Neque Scriptura aliunde probatur, sed con-
 tinet in sese sui probationem eminenter, & propterea est primum
 principium ejus Disciplinæ, quæ non sub luminationis, sed revela-
 tionis cognoscitur. Sicut enim in disciplinis humana ratione ad in-
 ventis prima principia non probantur, neque probari possunt, sed
 continent in sese suam probationem, idq; ob sui evidentiam: sic neque
 in Disciplina hac supernaturali primum principium probari potest,

aut debet, sed sui probationem in se continet per efficaciam & vim ab autore ipsius Spiritu S. profectam, ut quod principijs, quæ ab habitu, quem intellectum Philosophi appellant, cognoscuntur, est evidentiâ; hoc huic principio sit illa, de qua dixi, efficacia. Breviter ita oportet procedere. Ille cum quo de religione & rebus fidei disputo, aut Christianus est, aut non est: si Christianus est, fidem habebit Scripturæ, alioquin enim Christianus esse non posset: si Christianus non est, non potero cum ipso è Scriptura disputare, sed oportet prius rem eò deducere, ut Scripturæ ille credat. Ibi usurpare potero argumenta ab antiquitate, consensu populorum, miraculis, probabilitate contentorum &c. Verùm non deerit ipsi quod regerit, neque hæc argumenta, cum humana sint, & ab auctoritate humana ut plurimum desumpta, aliud efficient, quàm fidem humanam sive opinionem. Interim non nego his argumentis hoc effici posse, ut ipse agnoscat non imprudenter se facturum, si assentiatur. Inde eum rogavero, ut Scripturam legat, & attentè consideret animo non carpenti aut irridendi, sed discendi aut cognoscendi, implorata simul ope divinâ. Hoc ubi fecerit, mihi nullum est dubium, quin Spiritus S. per suum verbum sit operaturus, & homo agniturus, quòd Scriptura sit talis, qualis ab hominibus proficisci non potuerit, adeoq; indubitatum autorem habeat, Deum. Ipse agnoscat & fatebitur: hic liber plùs quàm humanus liber est, neque scribi potuit, nisi inspirante Deo.

P. AUGUST. Quorsum hæc omnia? quod in te recepisti, mirabiliter præstas.

CALIXT. Neq; hoc ego dico tanquam disputans, sed tanquam sententiam meam proponens & explicans. Hoc factò opus est, si non propter te, tamen propter assidentes, ut illi quid sentiam rectè percipiant; quanquam nos quoq; ipsi malè disputabimus, nisi nos mutuò intelligamus. Sententia igitur mea est: Assensus hominis Christiani, quo is adhæret Scripturæ, non habet aliam causam per se propriam & proximam, quàm ipsam Scripturam, sive intimam Scripturæ vim, de qua dixi, afficiendi & alliciendi animos ad assensum. Hæc assertio est contra tuam minorem. Simul enim nego, auctoritatem Ecclesiæ esse istius assensus causam talem, de qua nunc agitur, & simul do aliam, quam dari posse negabas in illa minore. Probationem autem de-

desumo ex 1. Theff. cap. ii. v. 13. qui ita habet: *Gratias agimus Deo indefinenter, quod acceptum de Deo verbum, quod audistis ex nobis, exceperitis, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) ut verbum Dei, qui etiam agit in vobis credentibus.* Inde argumentor:

Quam causam Christiani assensus Paulus assignat, illa est eius assensus causa:

Sed ipsum verbum ejusq; efficaciam Christiani assensus, quem verbo Thessalonicenses habebant, causam Paulus assignat:

E. ipsum verbum ejusq; efficacia Christiani assensus, quem verbo Thessalonicenses habebant, causa est.

P. AUGUST. Nego minorem.

CALIXT. Negas igitur ipsum textum, in quo expressè habetur, Thessalonicenses, qui prius erant infideles, & propterea æquè Ecclesiam ac verbum ignorabant, aut contemnebant, exceperisse verbum, non utique motos ab autoritate Ecclesiæ, quæ ipsis ignota erat, sed ut verbum Dei in ipsis operantis.

P. AUGUST. Habetur autem in textu, *Quod accepistis à nobis.* Ipse igitur Paulus & Apostoli causa erant ejus assensus, quem Thessalonicenses verbo habebant.

CALIXT. De causa sine qua non concedo. Oportebat enim verbum prædicari, quod ministerium præstitere Paulus & Apostoli: interim non licet assensum fidemq; habitam verbo ab autoritate Pauli, de qua ne quidem ipsa Thessalonicensibus constabat, suspendere: sed ipsum sibi, ut dixi, fidem faciebat, quia verbum Dei erat. Non facit tabellio fidem literis regijs, sed multò magis sigillum, subscriptio, stylus curiæ: interim nisi tabellio esset, literæ Regis ad nos non fuissent perlatæ.

P. AUGUST. Urgeo textum & verba *à nobis, à nobis.* Se igitur testatur Paulus veram fuisse causam ejus fidei, quam verbo habebant Thessalonicenses. Tu ipse negas textum, quem pro te adducis.

CALIXT. Non nego textum, sed nego illam consequentiam: Paulus prædicavit Thessalonicensibus verbum: ergo Paulus propria & per se causa est assensus, quo Thessalonicenses credunt verbum esse divinum. Si insignem Philosophum, quem à facie non nossem, monstraret Davus aut Syrus, simulq; indicaret, ipsum esse Philosophum doctissimum: ego verò postea adirem, colloquerer, & qui

vir esset è sermonibus cognoscerem, an verè dicturus essem, Davum aut Syrum causam per se esse istius assensus, quo crederem illum virum magnum esse Philosophum, & non potius ipsum fidem mihi fecisse, quis esset? quanquam absque Davo aut Syro in notitiam viri non perveni, neque fortè unquam pervenissem. Sic Paulus, Apostoli, & quicumque alij ministri verbum quidem prædicant: atqui ab ipsorum autoritate autoritas verbi non dependet, neque assensus ille, quem verbo adhibent Christiani, sed potius ipsum verbum, cum auditur, & attentè perpenditur, assensum illum efficit. Syrus quidem mihi dixit, Platonem esse Philosophum, sed certus sum de ea re, quia Plato, cum convenirem, ipse fidem fecit, & quòd Philosophus esset, re ipsa ostendit. Similiter Paulus mihi dicit, hoc verbum esse verbum divinum: at quòd de hac re certus sim, ipsum verbum, cum consideratur, efficit.

PAULUS Schmidt Pastor in Arsen. Est locus Act. XVII. qui valde ad hanc rem facit. Nam ibi etiam declaratur, quomodo Thessalonicenses ad fidem adducti fuerint. Assignatur autem causa, quòd Scripturas examinaverint, an ita se haberent, quæ Paulus prædicabat.

CALIXT. Rectè adducitur hic locus. Thessalonicenses illi *εὐχέμενοι* credebant doctrinæ Pauli, quia videbant convenire cum Scripturis. Hæc est alia causa assensus, quam autoritas Ecclesiæ, & est vera causa, nempe doctrina Pauli, quæ & ipsa *θεόπνευστος* est, & Scripturæ æquivalet, Scripturæ fidem facit. Sed postea disertius ex illo loco argumentabor. Nunc ex utroq; Act. XVII. & 1. Thessal. II. tale argumentum formo.

Aut autoritas Ecclesiæ, aut autoritas personæ Pauli, aut ipsum verbum sua vi efficiebat illum assensum, quo Thessalonicenses credebant verbo, quod Paulus prædicabat. Visné alias causas etiam adsumi? adsume quas libet, postea examinabimus. An verò videtur tibi hæc major sufficiens?

P. AUGUST. Transeat, sit sufficiens.

CALIXT. Subsumo igitur.

Atqui nec autoritas Ecclesiæ, nec autoritas personæ Pauli efficiebat illum assensum.

Restat itaque ipsum verbum, quod sua vi ad assensum eum effecerit.

P. AU.

P. AUGUST. Probetur minor.

CALIXT. Minorem probō, quæ duas partes sive duos terminos medios involuit, nempe, nec autoritas Ecclesiæ, nec autoritas Pauli illum assensum efficiebat. Primò de autoritate Ecclesiæ: hæc non effecit, ut Thessalonicenses præberent assensum, quippe ignota ipsis erat, utpote infidelibus.

P. AUGUST. Non erat omnibus ignota. Erant enim inter Thessalonicenses Judæi, sicut è textu constat.

CALIXT. Esto: nihil causam juvat, quia Judæi & ipsi auctoritatem Ecclesiæ N. Testamenti, quæ negotium nititur, aut ignorabant, aut contemnebant. Sed ne hoc turbet, pone fuisse Romanos aut alios simpliciter gentiles, quibus prædicavit Paulus, de ijs fateri necesse habes, quòd Ecclesiam penitus ignoraverint, ideoq; verbo propter auctoritatem Ecclesiæ credere non potuerunt.

P. AUGUST. Quid obstat, quò minus ipsis auctoritas Ecclesiæ proponi potuerit?

CALIXT. Quasi verò statim adsensissent, si quis proposuisset. Probari ea debebat; unde autem probari potest nisi ex verbo? Ut negotium conficiamus, ita argumentor.

Si Thessalonicenses verbo credunt propter auctoritatem Ecclesiæ, tum in sua fide circulum committunt, aut principium petunt:

Sed Thessalonicenses in sua fide neque circulum committunt, neque principium petunt:

E. verbo propter auctoritatem Ecclesiæ non credunt.

P. AUGUST. Nego majorem.

CALIXT. Major est manifesta. Si credunt verbo propter Ecclesiam, & vicissim Ecclesiæ propter verbum, quippe cujus auctoritas aliunde probari non possit, circulum committunt: aut enim hoc circulus est, aut non est circulus in rerum natura: sin verò insuper, ut hodie manè dictum fuit, verbum quo auctoritas Ecclesiæ probatur, sine auctoritate Ecclesiæ intelligi non potest, & per illam exponitur, tum petitur principium.

P. AUGUST. Ut hodie manè respondi; non est petitio principij, quia alter terminus est mihi notior quàm alter.

CALIXT. Et ego hodie manè ostendi, non esse alterum terminum,

minum, sed unum eundemq; , nempe, autoritas Ecclesiæ probatur per autoritatem Ecclesiæ.

P. AUGUST. Catholici ita docent, ut ego explico.

CALIXT. Hinc te extricare non potes. Transeamus saltem ad alteram partem minoris, quæ est, ab autoritate ipsius Pauli non dependere assensum, quem Thessalonicenses verbo præbebant. Hanc partem equidem existimo esse manifestissimam. Oportet enim ipsos talem discursum instituisse.

Quod Paulus proponit, est infallibiliter verum:

Sed hoc proponit: E.

Unde potuit ipsis constare de majore? Quis enim aut qualis esset Paulus, ipsi ignorabant. Neque persona Pauli eam autoritatem aut majestatem præ se ferebat, quæ animos hominum sine ulteriori inquisitione ad credendum commoveret. Magis verisimile est, Paulum quoad exteriorem personam non multum autoritatis præ se tulisse.

P. AUGUST. Potuerunt ab aliquo, aut ab aliquibus, qui jam antè crediderunt, de Paulo inaudiisse, atque ita commoti esse, ut fidem Paulo haberent, persuasi ipsum esse infallibilem.

CALIXT. Nescio quam gratiam à Pontifice initurus sis, qui Paulum æquè ac Petrum facias infallibilem. Putaram hoc privilegium competere soli Petro.

P. AUGUST. Bene convenit Pontifici cum Paulo. Semper enim Paulum Petro comitem adjungit in fine Bullarum.

CALIXT. Ad rem: quale hoc esset fundamentum fidei, Quod ille aliquis, vel illi aliqui dicunt, est infallibiliter verum? Agimus de fide Christiana, non de opinione, de fide, qua ita credunt, ut malint, sicuti jam antè dixi, Christiani mille mortes subire, quàm illam fidem abnegare. Oportet itaque eam niti fundamento & principio firmissimo, certissimo, infallibili, quod excludat omnem metum & suspicionem falsi. Expedita est ratio concludendi.

In quod ultimò resolvitur fides Christiana, id non potest esse improbabile, ambiguum, dubium.

At talis est Thessalonicensibus autoritas personæ Pauli, & autoritas illorum aliorum, de quibus jam dixisti.

E. in eam non resolvitur ultimò fides Thessalonicensium.

P. A U.

P. AUGUST. Poterant Thessalonicenses ita ratiocinari.
 Qui legitimè missus est ab Ecclesia ad docendum, illius verbum
 est infallibiliter verum.

At Paulus legitimè missus est ab Ecclesia ad docendum nos.

E.

CALIXT. Ad majorem jam antè sufficienter responsum fuit.
 Unde enim sciebant Thessalonicenses eam esse veram? Non igitur
 ita ratiocinati sunt. Num putas statim assensuros fuisse, si quis di-
 xisset: cœtus ille hominum in Palæstina sub Petro principe colle-
 ctus, à quo legitimè ad vos missus sum, est infallibilis, & tales etiam
 sunt, qui ab eo mittuntur? Non certè. Quis in re nova & inopina-
 ta, addo etiam improbabili, fidem suam fundabit?

P. AUGUST. Illi, cùm ipsis proponeretur autoritas Eccle-
 siæ, non fuerunt pertinaces, sed admiserunt autoritatem Ecclesiæ.

CALIXT. Sed quo argumento moti? Autoritas Ecclesiæ
 probatione indiget: sine probatione eam admittere vanitas & levi-
 tas quædam animi est. Addo ipsos fuisse Judæos vel gentiles.

P. AUGUST. Atqui non fuere pertinaces: non igitur fuit
 difficile eos convertere, etiamsi fuerint gentiles. Multò magis diffi-
 cile fuerit te convertere, quia cum pertinacia negas autoritatem
 Ecclesiæ.

CALIXT. Ubi video committi circulum, aut peti princi-
 pium, rectè facio, cùm nego, & assensum à me postulantes irrideo.
 Illa major, quæ à te in discursu Thessalonicensium ponitur, præsup-
 ponit autoritatem Ecclesiæ, de qua dictum fuit, quòd in ea quippe
 vel sprete vel incognita, & ex ipso verbo probanda, Thessalonicenses
 fidem suam, quam verbo habebant, fundare non potuerint. Irretie-
 ris hîc iisdem laqueis, quibus priùs. Inveni aliud, ob quod verbis
 Pauli fides habita fuerit. Id verò oportet esse principium certum &
 firmum, cui scilicet innitatur fides Catholica & Christiana, non labi-
 le & fluxum. De tali itaque principio quæro, quodnam fuerit, super
 quo Thessalonicenses fidem suam fundarint. Quæro, quodnam sit
 illud, quod permoverit Thessalonicenses, ut Paulo prædicanti
 fidem haberent?

P. AUGUST. Thessalonicenses credebant, quia audiebant
 Paulum prædicantem convenientia Scripturis.

F

CA-

27
22
22

CALIXT. Pro hac responsione magnas ago gratias: ipsum est quod volo: non credebant ob auctoritatem Ecclesiae, quam ignorabant, neque ob auctoritatem personae Pauli, quae, quatenus appareret, magna non erat. Magna quidem auctoritas Pauli quatenus Apostoli; sed unde Thessalonicensibus constaret, aut quanta esset auctoritas Apostoli, aut quod Paulus Apostolus esset? Bene itaque respondisti. Credebant non ob aliam causam, quam quod quae praedicabantur Scripturis convenirent. Verbis itaque Pauli, quae verbum Dei erant, credebant propter Scripturas, quae itidem verbum Dei erant. Nunc pro altera parte meae minoris, nempe non credidisse Thessalonicenses propter auctoritatem personae Pauli, è loco Act. XVII. superius adducto ita argumentor:

Qui credunt verbis Pauli, quoniam ea vident convenire cum Scripturis, illi non credunt primò & propriè propter auctoritatem personae Pauli.

Sed Thessalonicenses credunt verbis Pauli, quoniam ea vident convenire cum Scripturis. Indicio est textus: *Examinantes Scripturas, an hac ita se haberent, sequitur; πολλοὶ μὲν ἔν multi igitur crediderunt.*

E. non credunt verbis Pauli primò & propriè propter auctoritatem personae Pauli.

P. AUGUST. Hoc totum conceditur.

CALIXT. Ergo conceditur tota altera pars meae minoris probanda.

P. AUGUST. Interim Scripturae non creditur primò & propriè, nisi prout ea proponitur ab authentico.

CALIXT. Quis autem est ille authenticus, ob cuius auctoritatem Scripturae credatur? Neque est Ecclesia, neque Paulus, ut probatum fuit. Si alterutrum dixeris, redibitur ad priora. Ergo patet, verbis Pauli h. e. verbo divino credi propter Scripturas i. e. verbum divinum. Verbum itaque divinum sibi metipsum fidem facit, nulla interveniente alia auctoritate: quae mea est sententia.

P. AUGUST. Fere Thessalonicenses illi Judaei, ut constat ex textu, quibus nota fuit Scriptura V. Test. In his itaque locum habere potest illa ratio, quae in alijs non potest, & propterea simpliciter admitti non debet.

CA.



CALIXT. Res eodem recidit. Scriptura V. Testamenti & doctrina N. Testamenti est unum & idem verbum divinum. Sed ne hoc te turbet, pone pro Thessalonicensibus simpliciter gentiles aut barbaros, quibus prædicatum fuerit Evangelium, sicut certè multis hujusmodi prædicatum fuit. De illis barbaris quæro, quodnam fuerit, quod illos permoverit, ut crederent prædicantibus Apostolis? Et argumentor eodem modo, sicut priùs:

Aut crediderunt propter auctoritatem Ecclesiæ, aut propter auctoritatem personarum prædicantium, aut propter aliud quid, quod dari non potest, aut denique moti ab ipso verbo, ejusq; divina efficacia.

Sed non crediderunt propter Ecclesiæ aut personarum prædicantium auctoritatem, ut probatum fuit, neque propter aliud quid.

P. AUGUST. Unde hoc probas?

CALIXT. Si aliud quid esset, à te oporteret hoc proferri. Ego enim dico, assensus, quem barbari prædicato verbo præbeant, non posse dari aut excogitari alias causas, quæ veræ & per se causæ sint, præter enumeratas: si alias nosti, profer eas.

P. AUGUST. Tu proba quod dicis. Rependo tibi eandem mensuram, quam mihi ad mensus es: supra enim in simili casu me ut probarem urgebas.

CALIXT. Sed supra in illo simili casu, cum diceres, non dari aliam causam assensus hominis Christiani quam auctoritatem Ecclesiæ, ego dedi aliam. Tu nunc similiter facito: tibi enim nunc eodem jure hoc incumbit. Atqui hoc facere non potes, quia superius concessisti, non posse dari causas præter enumeratas: imò juxta te sola Ecclesiæ auctoritas vera causa est. Quoniam igitur minor quoad auctoritatem Ecclesiæ & personarum proponentium satis jam antè ventilata fuit, ita ut veritas ejus sit manifesta, neque alià causa inveniri potest, ideo rectissime licet concludere:

E. crediderunt moti ab ipso verbo, ejusq; divina efficacia.

Et quoniam, ut patet, non est alia causa, propterea rectè colligitur, solum verbum, ejusq; genuinam efficaciam adlicere & ad se trahere animos audientium, adeoq; hanc solam esse causam per se, propriam & proximam assensus fideiq; Christianæ. Quoniam incidimus in

illum locum Act. XVII. aliud etiam ex illo argumentum, quod contra te fuerit, deducere lubet.

Silicuit fidelibus doctrinam Pauli secundum Scripturas examinare, licet etiam nunc fidelibus doctrinam & determinationes Pontificis Romani secundum Scripturas examinare: nisi fortè major reverentia debeatur Pontifici quàm Paulo.

At verum prius, ut constat è litera.

E. & posterius.

P. AUGUST. Respondeo: licet examinare in eum finem, non quidem, ut nobis iudicium de illis rebus sumamus, sed ut cognoscamus, quàm bene quæ docentur aut definiuntur conveniant cum Scripturis. Sic Thessalonicenses post illud examen dicere potuerunt; quàm rectè docet Paulus! quàm bene doctrina ejus convenit cum Scripturis! Ita etiam nos, cum determinationem & sententiam Pontificis cum Scripturis comparavimus, dicere possumus: rectè definivit Pontifex, comparavi cum Scripturis, quàm pulchrè omnia conveniunt.

CALIXT. Eja verò! mirificum nobis examen introducis, quòd nihil ad rem facit. Dico,

Quòd Thessalonicensibus licuit in doctrinam Pauli, hoc nobis licet in doctrinam & determinationes Pontificis.

At Thessalonicensibus licuit examinare doctrinam Pauli secundum Scripturas. Et non tantùm licuit, verùm etiam quòd id fecerint, cum laude commemoratur. In textu est *ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς*, interrogantes, perpendentes Scripturas, an hæc ita se haberent. Quid aliud est perpendere Scripturas, an quæ Paulus docet, ita se habeant, quàm doctrinam Pauli secundum Scripturas dijudicare? Quæro à te, num Thessalonicenses doctrinam Pauli admissuri fuissent, si deprehendissent eam cum Scriptura non convenire?

P. AUGUST. Non fuissent admissuri.

CALIXT. Bene habet. Non igitur examinarunt eam, ut tantùm agnoscerent, quàm bene conveniret cum Scripturis, quasi præsupponentes eam esse veram & convenire, sed simpliciter examinarunt an ita se haberet, an conveniret. Et quia convenire videbant, ideo credebant esse veram, non autem, quia credebant aut præsuppone-

ponebant esse veram: ideo videre voluerunt quomodo conveniret. Dico, quia videbant convenire, ideo credebant. Patet ex textu: *Multi igitur crediderunt.* Quare? Oportet præcedere causam & rationem, ut innuit *Id igitur; illa est: quotidie examinantes Scripturas, an hac ita se haberent.* Hoc est verum examen, quod non præsupponit infallibilitatem ejus, cujus doctrina examinatur, quæ non nisi æquivocum examen est. Ex his rectè concludo:

E. nobis idem licet in doctrinam & determinationes Pontificis.

Hoc est, verum, serium examen permissum est. Proponam novum argumentum, quo probabo auctoritatem Ecclesiæ non esse causam per se assensus, quo Christianus adhæret verbo, sive Scripturæ & religioni Christianæ.

Quo absente sequitur sæpe effectus, & quo præsentem, si alia absint, sæpe non sequitur, illud istius effectus non est causa propria & per se.

Sed sæpe absente sive ignorata auctoritate Ecclesiæ sequitur assensus habitus Scripturæ.

E. auctoritas Ecclesiæ non est istius assensus causa propria & per se.

P. AUGUST. Major in Philosophia non est vera. Nemo Metaphysicorum ita docet.

CALIXT. Quæso, qua fronte negas majorem? Non tantum vera est, sed etiam evidenter vera.

P. AUGUST. Tu hoc dicis.

CALIXT. Considera modò. Est essentialis nexus inter causam per se & effectum, & effectus à tali causa essentialiter & per se dependet. Fieri igitur non potest, ut effectus producat, ubi non sit sua causa. Quare, quo absente effectus produci potest, hoc ejus causa per se non est. Sic ratio causa est proprietas; calor ignis est causa levitatis, quæ in igne; interpositio terræ est causa eclipsos lunæ. Considera, num hi effectus esse possint causa absente. Eadem ratio in reliquis. Ut res sit manifestior, ita argumentabor.

Nullus effectus, qui ab aliqua causa dependet per se, sine illa causa esse potest.

Sed assensus, qui Scripturæ & doctrinæ Christianæ præbetur, aliquando est sine cognita aut admiffa autoritate Ecclesiæ.

E. Assensus, qui Scripturæ & doctrinæ Christianæ præbetur, non dependet ab autoritate Ecclesiæ ut causa per se.

P. AUGUST. Syllogismus est vitiosus in forma.

CALIXT. Vide quid dicas, syllogismus in forma sibi constat, est in secunda figura, in modo Festino.

P. AUGUST. Major est falsa: sæpe est effectus, quando desijt esse causa, ut filius, quando jamdudum mortuus est parens.

CALIXT. Neque intelligo effectum in esse factum, sed in esse fieri. Ut igitur ambiguitas tollatur, addo hoc majori, & sit ita:

Nullus effectus, qui ab aliqua causa dependet per se, sine illa in suo fieri esse potest.

Sed assensus habitus Scripturæ aliquando in suo fieri est, id est, producitur sine autoritate Ecclesiæ. Ergo.

P. AUGUST. Nego minorem.

CALIXT. Minorem probo vivo exemplo. Novi Judæum, & norunt fortè etiam assidentes, qui è sola lectione N. Testamenti conversus est. Ille autoritatem Ecclesiæ vel ignoravit, vel contempsit. Oppignoratur autem ei forte fortuna codex N. Testamenti, cœpit legere, & per eam lectionem sine ulla Ecclesiæ autoritate commotus N. Testamento fidem habuit & conversus est.

P. AUGUST. Non fuit vera fides, sed simulata.

CALIXT. Verè conversus est, non simulatò: vivit adhuc hodie, & constanter in fide Christiana perseverat. Nomen homini Christianus Gerson, vir pius & doctus, qui seriò rem agit, de quo auserim affirmare, malle ipsum mori, quàm semel susceptam fidem ejurare.

P. AUGUST. Non potest esse.

CALIXT. Ita esse, testantur etiam libri ab ipso contra gentiles suos Judæos editi. Et testimonium quoque scio ferre possunt assidentes.

[Assidentium nonnulli testimonio suo comprobarunt.]

CALIXT. Lubet transire ad infallibilitatem vestri Pontificis, & eam aliquantisper examinare. Vos verò affirmatis, propterea vobis, ut probetis, incumbit, Probare autem eam non potestis, nisi com-

com-

committendo circulum, aut petendo principium, ut jam antè manifestum fuit: atque hoc ipso satis superq; refutata sua sponte concidit. Quò tamen res fiat manifestior, hoc oneris in me recipiam, ut ipse probem, quod alioquin facere non tenerer, ostentatam illam Pontificis infallibilitatem confictam esse, & nullam, adeoq; pugnare cum ratione & experientia. Ita argumentor.

Qui potest esse hæreticus, ille potest etiam definire hæresin.

Pontifex Romanus potest esse hæreticus. Ergo &c.

P. AUGUST. Respondeo ad minorem. Pontifex quatenus Pontifex non potest esse hæreticus. Deinde ad majorem respondeo per distinctionem. Potest enim esse hæreticus materialis, qui non sit hæreticus formalis.

CALIXT. Quæso, responde directè ad præmissas. Explica verò etiam nobis illos terminos: hæreticus materialis, hæreticus formalis: quid per eos intelligis?

P. AUGUST. *Hæreticus materialis* est, qui incidit in errorem, eiq; adhæret, sed non pertinaciter. *Formalis verò hæreticus*, qui erroneum dogma publicè profitetur, & contra Ecclesiam pertinaciter defendit. Pontifex potest esse hæreticus materialis, sed non formalis.

CALIXT. Ad evitandam itaque hujusmodi ambiguitatem, ita formetur argumentum.

Qui potest in corde suo adhærere errori, ille etiam potest definire errorem.

Sed Pontifex potest in corde suo adhærere errori. Ergo &c.

P. AUGUST. Nego majorem.

CALIXT. Et concedis minorem?

P. AUGUST. De minore postea videbimus.

CALIXT. Si animus tibi est negare minorem, omissa majore ad illam transeamus: facit enim magis ad rem, & negotium, quod præ manibus est, propius attingit.

P. AUGUST. Interim nego majorem.

CALIXT. Si negas, oportet te prægnantem rationem proferre, ob quam neges. Rationi enim cum primis consentaneum est, & nemo contrarium sibi facile persuadebit, quin ille, qui in animo suo

suo de hac aut illa sententia persuasus est, possit etiam eandem sententiam docere, defendere, & definire.

P. AUGUST. Non omnis qui in animo suo errorem fovet, definiendi auctoritatem obtinet : quare destituitur auctoritate, qua opus est ad definiendum. Hanc itaque ob causam non est vera tua major : Quicumque in animo fovet erroneum dogma, definire potest erroneum dogma.

CALIXT. Acutum inventum : Quisque qui fovet errorem pro mensura auctoritatis, qua ipse praeditus est, errorem definire potest. Non nego diversos gradus esse auctoritatis. Unusquisque autem secundum suam auctoritatem errorem, quo infectus est, proponet, docebit, definiet, ut particularis Doctor suis auditoribus pro sua auctoritate quod sentit proponit; Episcopus suae dioecesi; Pontifex verò universae Ecclesiae: quoniam juxta vos universae Ecclesiae praepositus est. Quanta itaque erit uniuscujusque auctoritas, tanta etiam erit ejus erroris propagatio. Pontifex igitur quia obtinet summam auctoritatem conjunctam cum auctoritate definiendi, errorem etiam cum summa auctoritate & erroris definitione propagabit. Ut res sit manifesta, argumentum sub hisce terminis concipiatur.

Qui potest mente animi sui erroneum dogma fovere, potest illud dogma, quantum in se est, alijs proponere.

Sed Pontifex potest mente animi sui erroneum dogma fovere.

E. Pontifex potest erroneum dogma, quantum in se est alijs proponere. h. e. pro sua auctoritate definire.

P. AUGUST. Tuum argumentum non consistit firmo talo. Quoties jam id in alias formas transmutatum est?

CALIXT. Transmutationis causam tu dedisti : alioquin est unum & idem argumentum. Quoniam autem *κρησφύγετα* quaeris, ut ea tibi occludam, oportet me terminos adhibere adeò proprios & strictos, ut nihil desiderare, neque amplius aequivocare possis. Quid verò respondes? Ad formam, ad formam.

P. AUGUST. Respondeo ad minorem. Pontifex ut Pontifex non errat.

CALIXT. Attamen errat: minor itaque non negatur, quippe juxta vos Pontifex potest errare.

P. AU-

P. AUGUST. Etiam, sed non ut Pontifex.

CALIXT. Quomodo igitur?

P. AUGUST. Ut homo.

CALIXT. Hoc nihil est dicere, Pontifex potest errare, sed non ut Pontifex, verum ut homo. Similiter de quolibet Christiano licebit dicere: Christianus non errat ut Christianus, sed ut homo. Atque ita idem privilegium habebit quilibet Christianus, quod vos tanquam peculiare soli Pontifici tribuitis.

P. AUGUST. Neque hoc quadrat, neque hoc verum est. Christianus enim etiam quatenus Christianus errat.

CALIXT. Attende. Cum dico: Pontifex quatenus Pontifex errat: Christianus quatenus Christianus errat: in his enunciationibus reduplicatur subjectum per reduplicativam particulam *quatenus*. Ea autem potest capi dupliciter, reduplicativè vel specificativè, ut vocant. *Reduplicativè* sumitur, cum innuit causam inhaerentiae praedicti in subjecto, sive causam, ob quam praedictum subjecto tribuatur, sive formalem, sive efficientem: ut, homo quatenus homo est rationalis; ignis quatenus ignis urit. Jam nemo est, qui hoc pacto reduplicativam in superioribus enunciationibus accipiat. Sensus enim esset, Pontifex sub ea ratione, qua est Pontifex, vel ideo quia est Pontifex, errat: atque ita Pontificatus statueretur causa erroris. Pari modo in altero exemplo Christianismus statueretur causa erroris, ut sensus esset, Christianus sub ea ratione, qua est Christianus, vel ideo quia est Christianus i. e. baptizatus & regeneratus, errat; quod dicere blasphemum foret. Quamobrem in neutra propositione reduplicans reduplicativè sumitur. *Specificativè* autem sumitur, hoc est, specificat subjectum, ut sensus sit, Christianus quatenus Christianus i. e. illud subjectum, quod est Christianus, id ipsum errat, licet non ideo, quia est Christianus. Sic etiam, Pontifex quatenus Pontifex errat, h. e. illud suppositum, ille homo qui est Pontifex errat. *Der Kerk/ der da siset und Papst ist/ derselbe irret.* Ita ego acceptum volo, atque secundum hanc acceptionem sequitur id, quod volo concludere, nempe, quia homo ille, qui Pontifex est, errare potest, nulla ratio fingi aut excogitari potest, quare non idem homo libero suo arbitrio queat uti, in

G publi-

publicum prodire, facere quantum in se sit; scilicet quod sentit & verum esse credit, publicè docere, proponere & definire. Sic, si Liberius Arianismo potuit subscribere, uti potuit, & fecit, quare non eundem etiam potuerit definire, sicut Eutyehianismum. Vigilius, re-
tè sentientibus anathema dicens?

P. AUGUST. Tunc diceretur Pontifex errare ut Pontifex, si suo munere fungens, & in cathedra sedens doceret sive definiret erroneum dogma, quod vellet credi ab omnibus fidelibus. At hoc ipsum non potest fieri, ut ita erret, h. e. quatenus est Pontifex.

CALIXT. Hoc ipsum est, quod contra te concludo. Si Pontifex, quatenus Pontifex specificativè, i. e. homo qui est Pontifex, potest errare, tunc etiam idem Pontifex Pontificio munere fungens, & in cathedra sedens, quatenus Pontifex specificativè, errare potest. Nam Pontifex, quatenus Pontifex reduplicativè, non errat, etiam si Pontificio munere fungens erret, h. e. non errat quia est Pontifex; neque ego hoc volo. Mihi sufficit, ut errare dicatur Pontifex in cathedra sedens, quatenus Pontifex specificativè.

P. AUGUST. Pontifex, quando errat, non errat ut Pontifex, ita ut teneantur fideles ipsi obedire.

CALIXT. Nihil agis: quòd erret ut Pontifex, & quomodo id accipiendum, satis ostendi. Quia tamen pertinaciter ad eò inhaeres, & intelligere hoc non vis, quare à te, quando errat illud suppositum, quod est Pontifex, unde Christianis constabit, ipsum errare ut Pontificem, vel ut hominem?

P. AUGUST. Si errorem determinaret eum necessitate credendi, tum erraret ut Pontifex; quod dico non posse fieri.

CALIXT. Quidni possit fieri? Antè enim ostensum est, qui in corde suo potest fovere errorem, ille etiam ex cathedra sua potest proponere errorem, & quantum in se est, velle & facere, ut reliqui idem sentiant, quod sentit ipse. Si igitur Pontifex apud animam suam persuasus esse potest, Arianum aut Eutyehianum dogma verum esse, potest etiam quantum in se est, facere, ut idem reliqui quoque verum esse credant, hoc est, pro sua autoritate Arianum aut Eutyehianum dogma definire.

P. AUGUST. Respondeo. Si Pontifex huiusmodi hæresin professè sine publica propalatione credat, hæreticus est materialis; & hoc
nihil

nihil ad rem: si verò illam hæresin publicè doceret, & pro autoritate definire vellet, tum fieret hæreticus formalis, & amplius Pontifex non esset, adeoq; autoritatem definiendi non haberet. Rectè itaq; dico, Pontifex, ut Pontifex, non potest hæresin definire, quia si definiat, non amplius est Pontifex.

CALIXT. Hoc est aliquod novum. Nónne est idem, qui prius fuerat, qui à legitimis electoribus ad hoc fastigium evectus? Neqve præter ipsum etiam, etiamsi hæreticum, ut vocas, formalem, alius est, qui Pontifex sit.

P. AUGUST. Sed propter manifestam hæresin desijt esse, neqve amplius est quod prius fuerat. Qui hæreticus est, ne quidem Christianus est; multò igitur minùs Pastor omnium Christianorum. Qui hæreticus est, extra Ecclesiam est, non igitur caput Ecclesiæ: amisit igitur Pontificatum, & autoritatem definiendi.

CALIXT. Sed annon eadem ratio de hæretico materiali? Hoc profectò tanquam novum & prius inauditum à te dici demiror, Pontificem suapte sponte definire esse Pontificem, non iudicatum, non depositum. At esto. Cùm oves teneantur audire vocem sui pastoris, & ab ipso discere, quid sit credendum, unde ipsis constabit hoc aut illud dogma, quod definiat Pontifex, & ob quod definitum definat esse Pontifex & Pastor? Unde, inquam, ipsis constabit, hoc dogma esse hæreticum, quandoquidem juxta vos Scripturæ, ex quibus alioquin dijudicari posset, obscuræ sunt, & sine autoritate pastoris ab ovibus intelligi non possunt?

P. AUGUST. Constat fidelibus, quid ab Ecclesia propositum sit ad credendum; quid à prioribus Pontificibus, & Concilijs sit definitum. Si itaqve aliquid Pontifex contra hæc ipsa definiret, hæreticum id esse statim ab omnibus cognosceretur. Sic, si Pontifex contra Concilium Tridentinum statueret, statim omnes eum abominarentur, & pro pastore & capite Ecclesiæ amplius non agnoscerent.

CALIXT. Sed ne sic quidem evadere potes. Non constat omnibus, quid in singulis Decretis Pontificum, aut Conciliorum statutum sit: neque igitur constabit, definitionem aliquam Pontificis pugnare cum illis.

P. AUGUST. Nunquam desunt Ecclesiæ, quibus de hisce non probè constet.



CALIXT. Quid verò, si Pontifex dicat, antiqua Decreta ab ipsis non intelligi, neque suam sententiam cum antiqua, si rectè intelligatur, pugnare? Sed transeant ista. Minore negotio rem conficiemus. Sit articulus aliquis, de quo nulla adhuc habeatur definitio Ecclesiæ; si super hoc definiat Pontifex, non potest ex prioribus Decretis sciri, quòd hæreticè non sit definitum, quum nulla super ea re exstent Decreta.

P. AUGUST. Quis verò fuerit articulus, de quo non habeatur determinatio Ecclesiæ?

CALIXT. Certè complures ejusmodi sunt, & quidem de rebus vestro ipsorum iudicio magnis. Num definitum est ab Ecclesia de immaculata conceptione B. Virginis? Item, de peccato originali, quidnam propriè sit, sive quid sit formaliter? Nosti ipse, inter Dominicanos & Theologos vestræ societatis jam ultra viginti annos agitari difficilissimam controversiam de rebus maximis, & attinentibus fundamenta nostræ salutis, nempe æterna prædestinatione, divina gratia præveniente, sufficiente, efficaci &c. Bis provocatum est ad Pontificem, ut definiret, sed is huc usque sententiam suspendit, & libertatem permisit defendendi utramque partem. Utraque pars vera esse nequit, sed alterutra necessariò est falsa, & quidem, quoniam res sunt ad fundamentum salutis pertinentes, hæreticè falsa. Jam verò possibile est, Pontificem opinione animoque adhærere parti falsæ, ut priùs concessum fuit. Si potest adhærere parti falsæ, nihil obstabit, quòd minùs aliquando prodeat, cathedram ascendat, & partem illam falsam, cui ipse adhæret, autoritate sua definiat. Hoc enim rationi ita consentaneum est, ut contrarium affirmare à ratione & omni verisimilitudine penitus abhorreat. Neque ipse hoc negas. Quòd si partem falsam definierit, non poterit id sciri ex antiquioribus Decretis, quippe quòd nulla super hac re exstent. Pontifex igitur poterit definire falsum, & quidem hæreticè falsum, & ad id credendum poterit omnes obligare, atque nihilominus manere Pontifex, quippe quòd ex nullis anterioribus Decretis falsum definiisse agnoscat: quod tu argumentum esse statuisti, è quo Pontifex, tanquam qui Pontificatu & autoritate excidisset, & à fidelibus fugiendus esset, deprehenderetur. Hæc sequuntur ex ijs, quæ ipse concessisti. Pontifex potest falsum dogma alere, & ut exemplo patuit,

patuit, tale, de quo, quod falsum sit, ex anterioribus Decretis cognosci nequeat. Ergo etiam Pontifex potest definire falsum dogma tale, de quo quod falsum sit, è nullis anterioribus Decretis cognoscatur: & per consequens, Pontifex ut Pontifex, & manens Pontifex, falsum definire, & ad id credendum homines obligare potest.

P. AUGUST. Quare tantopere urges controversiam inter nostros & Prædicatores?

CALIXT. Ipse hoc audis. Utrum sententia vestra, an Prædicatorum falsa sit, ex nullis prioribus Decretis cognosci potest. Alterutra tamen necessario falsa est, & possibile est, Pontificem falsæ adhærere. Quid inde sequatur, jam audivisti.

P. AUGUST. Etsi diversæ sint sententiæ, non tamen statim necesse est, alteram esse falsam.

CALIXT. Omnino, quandoquidem contradictoriæ sunt.

P. AUGUST. Quid si contrariæ essent?

CALIXT. Perinde fuerit, utraqve vera esse non potest.

P. AUGUST. Quasi contrariæ non possint esse simul veræ!

CALIXT. Domine, per Deum discite Logicam. Enunciationes contrariè sibi oppositæ simul quidem falsæ esse possunt, nunquam possunt simul esse veræ.

P. AUGUST. Hoc tibi lubet pro tua autoritate ita pronunciare.

CALIXT. Non tantum ego hoc pronuncio, sed recta ratio, Logiciq; adeò ad unum omnes. Nemo tyronum, qui librum *de* *semplicitate* *audivit*, id ignorat.

P. AUGUST. In promptu sunt exempla, quæ testatum faciunt, posse contrarias simul esse veras.

[Hic P. August. cœpit exempla proferre. Calixtus contra ostendebat, enunciationes in exemplum prolatas aut contrariè non opponi, aut simul esse falsas. Tandem hac petulantia offensus surgebat, & Quid, inquit, attinet, cum ejusmodi homine disputare, cui nulla frons, nulla conscientia? Negaret illos parietes esse albos, imò Deum esse in cœlis, modò causam suam palliare posset. Si hoc audet facere in rebus adeò obvijs, & quas pueri non ignorant,

quid non ausurus est in alijs sublimioribus & abstrusioribus, in quibus falsitas facilius regi, & difficilius deprehendi potest?]

P. AUGUST. Oportet tibi contradicere, ne existimes, quicquid pronuncias, oppugnari aut convelli non posse.


CALIXT. Quod pronuncio, *duas contrarias simul veras esse non posse*, verum est, & in omnem æternitatem verum manebit. Non possum mihi persuadere, te ignorare quæ pueri etiam sciunt. Effet profecto id plus quàm ignorantia.


P. AUGUST. Video te admodum vehementem esse, ita etiam, ut tui & tuæ valetudinis rationem non habeas. Consultius faceres, si suppressa illa vehementia minùs contenta voce loquereris. Volui autem periculum facere, quid dicturus esses, si hujusmodi quid proferrem.

CALIXT. Nosti, nos non in re joculari, sed seria convenisse. Neque opus est, ut me tanquam discipulum tuum tentes, an Logicam sciam. Eam à te non discam, quam ipse alios ante complures annos docui. Nec profecto magnam Logicæ peritiam hodie in te expertus sum. Quod autem in re tam magni momenti, quæ scis vera esse, imò quæ pueri vera esse sciunt, tam audacter & constanter negare ausus es, in conscientiam tuam peccasti, & Deum offendisti ingenti peccato, quod ingenti pœna aliquando vindicabit, nisi ex animo pœnitentiam agas, & depreceris.

Atque ita Colloquium abruptum potius est, quàm finitum.







754458

ULB Halle 3
001 511 394



sb

Vb 17



DISPUTA

Handwritten text on a label, possibly including a name and date.





21.

COLLOQVIUM

instinctu

Nobilissimi & maxumè Strenui

DN. LUDOLPHI à Klencfen/

Hæreditarij in Hemelsburg/

Præsentibus N. Kintorff/ Cano-

nico Hildesiensi, N. N. Jesuita, Dn. Paulo

Schmiedt/ Pastore Artzensi, & Dn. Chri-

stophero Siltmann/ Pastore

Hämelsburgensi

inter

R. P. AUGUSTINUM N. è So-

cietate Lojolæ,

&

M. GEORGIUM CALIXTUM

Holfatum,

Hämelsburgi propriid. Kal. Septembr.

clō lœc XIV.

**Institutum, & ob retundendam malorum calumniam
tandem typis exscriptum**

clō lœc LVII.